



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christophori Longolii Lvcvbrationes

Longolius, Christophorus

Lvgdvni, 1542

Christophori Longolii Ad Lvterianos Qvosdam Iam Damnatos, Oratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](#)

mani iudicio : ad quem cum summam rerum omnium po= testatem , magno Deus homines q; consensu detulerint , qua tamen is est in summo rerum fastigio modestia , mo= nere uos atque adeo comiter rogare sustinuit , ne mihi puerilis illa declamatio fraudi esset , quominus ciuitatem hanc , qua me frequenti Senatu liberaliter donassetis , iu= dicio etiam uestro tueri atque retinere possem.

DIXI.

CHRISTOPHORI
LONGOLII AD LV-
TERIANOS QVOSDAM
IAM DAMNATOS,
ORATIO.



I E A effet apud me cause uestræ ratio , ut neq; uobiscum iam agi fas esse ducerē , & uos perpetuo quodam uoluntatis ue= stræ iudicio ita de reip . Christianæ statu persuasos putarem , ut nulla cuiusquam oratione ab ista sententia deduci possetis: non equidē com= mitterē , id ut negotij nūc deniq; suscepisse uideri possem , in quo nec à uobis , quibus maxime consultum uellem , ullā essem omnino gratiam initurus , & eos quorū potissimum sequerer autoritatem , etiam grauiſſime offendurus . Vos enim consiliorū uestrorū conscientia freti , aut labore hūc meum quasi inanem & superuacaneū aspernaremī , aut me non tam rebus uestris consulere , quam tēporibus serui-

b r e, ac

re, ac etiam potentioribus me uenditare statim iudicaretis.
 Illi contrà, studium erga uos meum condemnarent teme-
 ritatis, qui uobiscum disceptatione & consilio adhuc age-
 rem, quos nulla ad sanitatem redeundi facta potestate, &
 Pont. Maximus de amplissimi collegij sententia impieta-
 tis iam dñasset, & Cæsar ipse ex Senatus autoritate etiā
 hostes iudicasset. Verum cum ego uos neque ea esse arro-
 gantia putem, ut cuiusquam consilium temere despiciatis,
 & quodam humanæ mentis errore magis esse prolapsos
 arbitrer, quam ut quod ipsi ducatis impiū, id ad extremū
 pertinaciter tueri uelitis, neque de eo sane dubitem, sic
 uestrum de Republica iudicium adhuc esse damnatum, ut
 matura errati confessione relictum deprecationi locum
 experturi sitis: nihil me ab hominis Christiani liberalita-
 te alienum facturum puto, si me uobis hoc uestro tempo-
 re consiliarium obtulero, & quæ mihi de rationibus ue-
 stris etiam atque etiam cogitanti in mentem uenerunt, ea
 uobis accuratissime omnia fidelissimeq; hic exposuero.
 Etenim uobis omni asseueratione confirmare possum, me
 neque cuiusquam beneficijs auctum, neque alicuius iniu-
 rijs compulsum, neq; spe alia, nisi uos Reipublicæ recon-
 ciliādi adductum, neque omnino officium aliud atque bo-
 ni uiri secutum, huc descendisse: Christianæ enim me ciui-
 tatis esse ciuem memini: quem ex Christi Optimi Maxi-
 mi instituto non modo necessarios suos & ciueis, sed alie-
 nos etiam & hostes omni benevolentia complecti oport-
 eat: non ita quidem, ut eorū uitij indulgeamus (id enim
 ab amici hominis officio est longe remotissimum) sed ut
 eos ab omni errore diligenter amiceq; abductos ad bene-
 beateq; uiuendi rationem traducamus. Quæ quidem una
 si uobis satis iusta officij causa esse uidebitur, ut certe
 apud

apud homines religione Christianos iusta existimari debet et pia: æquum est etiam illud nos à uobis impetrare, ut sicubi à sententia uestra abhorrire uidebimus, ne uos mihi propterea in odio esse suspicemini, qui uobiscum ini micitas nullas unquam gesserim, et casum istum uestrum semper sim miseratus magis quam uel oderim, uel grauioribus malis premendum censuerim. Sed nec sane rationibus uestris aliter commode prospicere queam, nisi cau sæ cur à uobis hoc in genere discrepem, paulò interdum liberius à nobis explicetur. In quo si cum aliquo doloris sensu uulnera uestra tractari nonnunquam continget: succurrat uobis statim, eum esse me, qui nec illa fecerim, et facta uehemeter doleam, et ut aliquando cureretur, me dicamenta unus hoc tempore adhibeam. Quod ipsum si feceritis, nec me ulla animi contentione, sed sola opinionis dissensione à uobis dissidere existimabitis: simul utrumque (opinor) fiet, tum ut ea quæ à me uobis ad salutem fidissime atque amatiissime proponentur, in eā ipsi in qua spero et opto partē accipiatis: tum uero ut neque uos ullo tempore huius uestri silentij, neque me impertiti uobis hodie consilijs magnopere poeniteat. Atque ut inde potissimum orationis nostræ ducatur initium, unde tota nobis causæ huius suscipienda ratio est exorta, Quo loco sint res uestræ, uidetis. Et quamquam ex imperita multitudine nonnulli, rerum scilicet nouarum magis quam uobis amici homines, de eo uos laudare uideantur, quod præclarum quoddam aduersus paucorum potentiam facinus sitis aggressi: tamen urgemini undique, et quod inuitus dico, sed neque dissimulari iam, neque negari potest, et uos à me, si non libenti, at æquo certe animo dictum audiatis oportet: omnes aditum uestrum boni defugint, omnes sermonem

b s auersan

auersantur: Iudices postulantibus uobis ius dene gant,
principes nullum honorem communicant, sacerdotes uos
à templis & sacris arcent. Ad quæ quidem si obfirmato
animo iam obduruistis: quod ipsum mihi facile persuade= =
re non possum: quis enim ullo Christianæ probitatis pu= =
dore, tam graue ciuium suorum de se iudicium tam disso= =
lute negligat & aspernetur? Sed tamen si ea uobis omnia
contemnenda nunc putatis, nec uos fortunæ uestræ etiam
dum pœnitet: ecquemnam tum ratio uestra exitum habi= =
tura est, cum uos & Pontifex Maximus, tanquam perpe= =
tuos religionis hostes, diris omnibus defixerit, & Cæsar
etiam bello acerrime persecuti cœperit? In Bohemiam,
credo, exulatum confugietis, eorum præsidio extremis
temporibus usuri, quorum uos in causam demississe opina= =
mini. Quid autem, si duriorem illi, ut est profecto, condi= =
tionem uestram quam suam arbitrati, noua se & aliena
inuidia premi nolent? Nam cum ipsi alijs atque alijs in= =
ter se partibus sint infecti, nec leuius secum quam nobis= =
cum diſideant: tum uero si neq; incredibili omniū mortu= =
lium odio ardere, neq; honorū clementia uel misericordia
potius adhuc uiuere nesciunt. Quod ut uoluntario exilio
uos à legum severitate apud eos vindicare possit, sustine= =
bitis' ne tamen, ut præter miseræ atque solicitæ fugæ cala= =
mitatem, non iam diuinæ ciuitatis ciues, & Christiani, sed
aut Hussiani, aut Valdenses, aut quo uos in numero qui= =
dam iam ponunt, exules Luteriani, & sitis & numere= =
mini? Ego quidem quosnam uos potissimum appellarem,
& in ipso orationis meæ aditu statim quæsiui, & hic
nonendum sane reperio. Ciues? qui à Christianæ ciuitatis
cōsensu desciuistis. Hostes? qui Christi persuasionem ad= =
huc profitemini. Christianos? qui Christianæ pietatis con= =
cordiæ

cordiæ aduersamini. Luterianos: qui nondum ita puto in= sanistis, ut tam graui ignominia à nobis afficiendi sitis. Neque enim certe uos in ueterem reipublicæ gratiam re= stituendos suscepissem, si de uobis, quemadmodum de cæ= teris qui in eadē sunt causa penè omnibus, omnino despe= rassem. Sed quocunque uos dici nomine conueniat, et ad= huc appellare fas sit: equidem nec quæ uobis apud Her= munduros Quadosq; subsidij spes ostendatur, satis video, qui uos ibi quoque firmissimis reipublicæ præsidijs inter= clusum iri perspiciatis semperq; inuisos Sarmatis, Sauro= matis, Pannonibus, Gallis, Italis, Germanis, et cunctis ijs quæ Hercinium saltum accolunt nationibus exosos fore non ignoretis. Nec enim solum infestos habetis domi bo= nos omnes, sed exteris etiam g̃etes omnes inimicas. Quod non enim terrarum, quæ nō maria grauis istius uestri er= roris fama iam peruasit? Aduersantur scilicet causæ ue= stræ Hispaniæ, aduersantur Britanniæ: oderūt eam Dacæ, oderunt Illyrij: damnant denique illi ipsi, quos paucis an= nis ad religionis imperium adiunctos esse audistis, Afri, Aethiopes et Indi. Atque hæc ipsa cum talia sint, ut ni= hil mea sententia acerbius aliud fangi posse (mortem mihi equidem ipse optandam putarem, si tam graui, non dico uel gentium, uel ciuium meorum omnium, sed eorum qui= buscum domi uiuo hominum iudicio damnarer) tam affli= Etæ, inquam, res uestræ cum sint, ne illud quidem uobis so= latio ut sit, etiam uereor, quod tuendæ reipublicæ causa in orbis terræ et iniqua ciuium uestrorum odia incurra= tis: nisi fortasse sic uestram ipsi causam probatis, sic uos amatis, sic uobis placetis, ut cæteros mortales, qui tamen augustæ illius neque persuasionis, neque spei, neque cha= ritatis religione uobis concedant, omneis præ uobis insci= ti.

tie uecordiaeq; condemnetis. Quod quam superbum sit,
et à Christiana modestia alienum, ipsi profecto intelligi
tis. Atque hoc fieri quidem posse non negem, ut uos recta
sapere et uera sentire ipsi existimetis. Sed unde illud tan
dem uobis constat, uos in eo solos bene sentire, in quo to
tam rem publicam despere iudicetis? si tot maiorum no
strorum aetates, tantus hodie gentium consensus, si ad unum
deniq; omnes quicunque ulla uel doctrinæ, uel iudicij, uel
sanctitatis laude floruerūt, magni et clari homines, in re
toties decertata, et in eandem semper rationem dijudicata,
errare potuerunt: uos non decipi, uos non falli, qui tandem
potestis? An uobis modo Deum esse propitium, ceteris, à
quibus colatur, omnibus iratus atque infestum putatis? Non
tam credo male neq; de genere humano, neq; de natura il
la, ut præstantissima, sic etiam optima et certe mortalibus
amicissima, iudicabitis. Sed ut illum à nobis sclera nostra
alienorem reddiderint, causam nihilominus tamen, quare
uos unice complectatur, et quasi in delicijs solos habeat,
nullam sane reperio: quos ne quid grauius dicam, nec no
bis esse meliores, et de eo etiam ipso pessime sentire omni
bus sit persuasum. Nam quod uos Christianæ legis atque
historiæ uerbis cum istum in sensum perduci, tum in hunc
reipublicatum niti contenditis, atque ita deum immortalem
quasi consilij uestri autorem laudare soliti estis: nos uero
ea ipsa uerba non modo aperte nobiscum facere, uerum=
etiam causam uestram funditus euertere contendimus. Neq;
sane interim satis mirari possumus, uos cum ea non uide=
re, quae reliqui mortales aperte uideant, tum uero uel tan=
ta esse confidentia, ut quia quid sequamur non perspicitis,
iccirco consilium nostrum reprehendatis, uestrum ualere
uelitis uel tam angusti animi, ut ea demum, uel potius ea so=
lum

lum uera esse credatis: quæ ipsi cogitatione comprehendere, & animo cernere possitis, reliqua tanquam uana et falsa repudietis. Quod quidem cum facitis, mihi nimis simili-
ter facere uidemini, ac si lusciosi aliquot homines, se solos lucis usura commodiſſime perfrui, cæteros qui acutissima oculorū essent acie, in altissimis tenebris uersari affirma-
rent. Nam quis uos (dicetur enim libere quod res ipsa lo-
quitur) quis uos aut inani prudētiæ opinione, aut alicuius certe præstigijs occæcatos esse neget: qui cū numero sitis adeo pauci, nec ita multum in liberali ingenuarū artium studio uersati, neq; ulla diuini iuris cognitiōe satis instru-
cti, neq; ulla tractandarū literarum sacrarū usu exercita-
ti, audeatis tamen notū, testatum, perpetuum populi Chri-
stiani cōſensum, hoc est, ut ego interpretor, Christi ipsius legem atq; uocē, præ opinionis uestræ errore arroganter cōtemnere, & quasi de explorata sententiæ uestræ ratione insolenter gloriari; quam tot seculorū præiudicijs, omniū gētium testimonijs, omnium eorū, qui unquam in ciuitate nostra uel sanctissimi, uel sapietissimi, uel eruditissimi sunt habiti, autoritate damnatam esse non ignoratis? Sed hæc postea demonstrabuntur à nobis subtilius & copiosius. Hic enim mihi planum quoquo modo fecisse satisest, ne apud uos quidem ulla ratione, certa ea esse posse, quæ nec diuino ullo signo probentur, & apud omnes mortales pro falsis constantissime habeantur. Relinquitur igitur, dubia saltem adhuc ut sint. Quod si ita est, uidete (quæſo) qua fronte, qua ueritatis conscientia, qua Christiani animi moderatione, pro re ancipiti & obscura, bellum certum & apertū aduersus reipub. cōcordiam suscipiatis: qui si ulla germanæ atq; ueræ illius modestiæ cura tangeremini, nō tam uestris, etiam si iam olim ſæpeq; dānatæ non effent, opinion

opinionibus duceremini, quām populi Christiani iudicio
 atq; consensui seruiendum uobis esse existimaretis. Neq;
 uero illud uos, opinor, ab omni culpa uacuos præstiterit,
 quod nōnullos uestrū subinde afferre audio: ea uos mente
 atq; animo in causam istam esse ingressos, nō ut cuiusquā
 opes aut autoritatem deleretis, sed ut Christianā rempub.
 quae grauiter affecta atq; debilitata esset, in pristinam di-
 gnitatem aliquando restitutam uideretis. Id enim, ut à me
 contra multorū uoluntatē uobis nihil grauate detur, non
 cōtinuo tamen laudi uertendum: atq; adeo ne tolerandum
 quidem semper, quicquid uel ab optimo aliquorū animo
 profectum esse cōstat. Parum prudentes & in repub. ru-
 des homines, si pro ingenij sui natura temere quidem ali-
 quid & stulte, sed bona tamen fide dixerint fecerint ue,
 quod ad ciuitatis uel dignitatē, uel utilitatem arbitrentur
 pertinere: nemo eos cōfestim sceleris arguat, nemo impie-
 tatis accuset, uenia etiam & misericordia persequētur o-
 mnes. At rursus ijdem illi insipientiae suæ priuatim publi-
 ceq; diligenter admoniti, si in eo quod temere miscere cō-
 perunt, tuendo insolenter perseuerēt, seditiosorū hominū
 tum infamiam iure subierint, tum etiam pœnam recte su-
 stinuerint. Quod enim initio imprudentia & error dici
 potuit, facit scilicet pertinacia, ut sceleris, cōtumaciæ, fa-
 ctionis nomen accipiat: & ea quæ est de maiestate pœna
 iudicetur. Sic cū ipsi omnia Christianæ reip. cōstituendæ
 causa uobis tum fieri, tum dici prædicatis, possit uestra
 quidem laudari oratio: cōsilium autē non uehementer ab
 optimo quoq; nō reprehendi: qui cum alia noua & perni-
 ciosa inducitis multa, tum uero sublato summi Pontifica-
 tus principatu, rempub. uel stultiſimo cuiq; perturbandā,
 uel etiam audacissimo cuius diripiendam euertendamq;
 obiijcitis

obijc̄tis. Sed hæc imprudentiæ uestræ culpa fortasse susti-
nuerit. Illud autem cuiusmodi tandem esse dicemus, aut quo
nomine appellabimus, quod nihl reueriti, neq; maiorū no-
strorum instituta, neq; Christianæ ciuitatis disciplinam,
neq; sacrorum religionē, neq; summi imperij maiestatem,
neq; ciuium uestrorū iudicium, neq; adeo eorum qui uos
ab isto errore abducere conarētur, monita atq; præcepta,
à nobis ad impiam Hussianorum Valdensiumq; sectam,
nulla neq; publica neq; priuata (opinor) cuiusquā cōpulsi
iniuria, subito defecistis? Hoc aduersus rem p. animo cū diu
fueritis, mirandū quidē nō est, si ab ijs hostes aliquādo iu-
dicati estis, quos ipsi prius hostium numero habuissetis,
quām illi & sibi & Po. Christiano quicquā à uobis eius-
modi metuendū esse suspicari potuissent. Sed quādo de sta-
tus, sentētiae, ac periculi uestri ratione satis disputatione mul-
ta uideri iam possumus: nunc quidnā uobis cōsiliij capien-
dum sit, dum ueniæ tēpus adhuc integrū est, diligenter cō-
sideremus. Et quia salutis uestræ rationem apud homines
Christianos exploratā esse, atq; plane explicatā iudico,
si de sentētia statim deceđetes, eo tandem reuertamini, unde
uos nunquā discessisse oportuit: quo id uos quod in manu
uestra etiā nunc est, maturius atq; libentius factū uelitis,
primū dicā qua facilitatis uestræ culpa in fraudē istam in-
cideritis. Deinde de eo quē potissimū autorē securi estis,
à nobis agetur. Tum quæcunq; is cōtra reip. causam attu-
lit, ea diluam omnia, falsaq; & inanissima prudentiæ esse
ostendā. Postremo quonā uobis modo cū rep. in gratiam
redeundū esse censeā, summa tum fide, tū diligētia aperiā
atq; expediā. Culpā enim uestrā hāc esse duco, quod plu-
ris unius alicuius sermones quām totius reip. autoritatem
atq; iudicū feceritis. Nam et si reperiri aliquē interdum
posse

posse non dubium est, qui ea sit ingenij acie præditus, id ut perspiciat, quod bona mortalium pars nō satis uideat: tamen nō continuo ea quasi de cœlo in animū cuiusquam delapsa, à nobis omnia recipienda sunt, quæ ab acutissimis fortasse quibusdam hominibus, sed parum uel prudenteribus uel etiam bonis quotidie excogitantur, præsertim si ad labefactandā reip. Christianæ concordiā, in qua nobis esse debent omnia, spectare atq; pertinere illa uideantur. Nam quænam tandem firmandi reip. status, non iam dico fiducia, sed omnino spes nobis ostenditur, si pro ingenio uel libidine potius & amentia seditionisissimi cuiusq; leges atq; maiorum nostrorum instituta in disceptationem uocare cogamur? Neq; enim tam bene cum genere humano agitur, ut aut quæ optima sunt, eadem quoque placeant omnibus: aut lex ulla ita describi posset, ut omnium rationibus pariter deseruiat: quod ipsum tamen nullo eorum, qui leges nobis tulere, uitio commissum uideri debeat: sed ita potius natura quodammodo comparatum esse, ut infinita rerum temporumq; uarietate, in tam inæquabili hominum ipsorum tum fortuna, tum sensu, omnibus peræque consuli & similiter prospici non posset. Itaq; semper boni ciuis esse duxi, non quid cupiat ipse, aut quid item alter, qui stante Rep. cōmode stare non queat: sed quod pluribus probetur, & legū scriptoribus optimū uisum sit, id ipsum æquum statuere & rectū iudicare. Addo etiā illud, quod grauißimis atq; sapientissimis uiris placuisse audio, satius esse interdū aliquid à maioribus non omnino optimè constitutū tolerare, quam id multarū etatum usu receptum et cōprobatum, dum quasi iniquū tollere uolumus, uniuersæ ciuitatis ocium atq; pacem perturbare, aut etiā in aliquod seditionis discriminē eā adducere. Ad hāc enim pestem

pestē id etiā accedit mali, quod dum leges aliquas tanquā malas facile abrogamus, improborū ciuiū animos figēdis refigidisq; tabulis assuefacimus: quo ipso nihil plane sit ciuitatū saluti neq; calamitosius neq; exitiosius. Atq; hanc ipsam ego sententiam cum optimi cuiusq; iudicium secutus magis, quām quid forte rebus meis conduceret, mecum reputans, semper probavi: tū uero, si nihil de eo iure quod sempiternae salutis causa in perpetuum constitutum esset, mutaretur laudādam cum primis censui. Quod in hac certe causa usu nobis nunc uenisse, nec uos ipsi plane ignoratis. Neq; enim, opinor, nobis aliud persuasum, aliud à duo decim illis uiris, qui omnē persuasionis nostræ rationē formula quadam cōplectendi ius à Christo Opt. Max. acce-
pissent, conscriptum esse aut traditum existimatis. Quod cum ita sit, nec is cuius sectam securti estis, reipublicæ Christianæ summā atq; fundamenta publicis moribus conuelli, sed nouam quandam minimeq; necessariam administrādæ ciuitatis rationē multis iam seculis iudicata, & quasi per manus nobis traditam atq; acceptam esse initio queretur, fides ei illico habenda non fuit: nec siquid forte probabili populari ue ratione ab eo disputabatur, id quasi ex oraculo editum temere amplecti atque constantissimo genitium omnium iudicio à uobis anteponi statim debuit: qui sciretis à multis, non docendæ quidem ueritatis studio ad-
ductis illis, sed uel odio uel inuidia incensis, uel etiam qua maxime præclara tētantur ingenia, contradicendi, iactan-
dæq; doctrinæ cupiditate concitatis hominibus, multa in dies singulos & uaria studiorum monumenta paſsim con-
scribi, atque etiam in apertum proferri. E quidem Nestorium, Arrium, Iouinianum, Donatum, Vigilantium,
ac reliquos ueterum seditionum autores, rerum nostra-

i runt

rum tam imperitos non fuisse arbitror, id ut ex animo ad extremum probarint, in quo à ceteris tam impudenter dis sentirent: sed eos uel ostentandi ingenij, uel nominis sui il lustrandi propagandiq; causa, uel spem alias huiusmodi aliquam ambitiose fecutos, ad eas excitandas in remptur bas descendisse mihi nonnūquam pcnè persuadeo. Atq; ip̄i ipsi tamen cum multo grauioribus tum quām nunc Mart. Luterus sententijs pugnarēt, magnaq; non solū uulgo in genij eruditiorisq; laude, sed etiā apud quosdā reip. principes, sanctitatis opinione diu concionati fuissent: sunt ad extreム summo bonoru omnium cōsensu, tanquam Christianæ paci atq; ocio inimici, ex rep. expulsi, & in exilium tandem acti, damnata quoq; eorū memoria, & publice exu stis monumentis, quibus turbulentæ suæ mentis consilia cō mendassent. Quæ utinam uobis in mentem tum uenissent, cum primum Mart. Luterus popularibus istis suis concionibus, & insidiosissimis scriptis, iam olim reipub. imposita quidem illa, sed uel obducta cicatrice iampridē percurata uulnera refricare est aggressus: maiorem, credo reip. quām concionū eius rationē habuissetis: uobis quidē certe & rationibus uestris cōmodius prouisum esse hodie intelligeretis. Sed de nimia ista uestra credulitate, & ad cuius temere assentiendum facilitate, hactenus. Non enim uereor ne non quamvis breui admonitione, satis tamē edocti iam sitis, uel ad perspiciendum quæ uos potissimum res in hunc errorē incautos pertraxerit, uel ad cauēdum ne uos post hac auferant aliorū cōsilia, tum uobis, tū etiam reip. pernicioſa. Proximum est, ut de Mart. Luteri, quo quidē uno duce in istam opinionem aberrastis, ingenio atque studijs paulo accuratius agamus: quæ ipsa in eo sunt nimirum hu iusmodi, ut me quoq; culpæ uestra socium aliquando fuis se con

Se confitear, hactenus tamē, ut de eo bene senserim, nō etiā
ut ipsius de rep. iudicium bonorum sententia sanctius esse
unquam duxerim. Nam cum mihi interdum uidebatur mo-
ueri acute, tum omnium ordinum mores castigare seuere,
tum uero optimatum causam aduersus uulgi imperitiam
tueri religiose. Sed quid de me ipse loquor? qui ut minime
omnium sum suspiciosus, ita ab ijs præcipue quos mihi ali
quod naturæ religionis ue lumen commendet, facilime fal-
li possum. Compertum enim habeo, etiam bonorum ple-
rosq; qui in dignoscendis uel ex ipsa quæ magna ex par-
te fallaciſima eſt oratione hominum ingenij, magni &
acerrimi haberentur iudicij, illi initio ualde studuisse, atq;
adeo iurgia & prælia accusatorum eius sustinuisse. Quem
enim ſibi nō conciliaret, non dico libellus is quem de Chri-
ſtiana libertate nuper edidit, ſed uel una illa homine plane
Christiano digna atq; iuſtiſima indignatio: quais ſibi am-
plius ferendum eſſe negaret, ut quorundam theologorum
uel ambitione, uel inſcritia, Aristoteles religionis nostræ ca-
put & uertex haberetur, Christus ipſe in ea uix crurū aut
etiam pedum muncre fungeretur? Et proſecto multa ſcri-
ptis ille ſuis, præſertim que prima in manus hominum ue-
nerunt, complectebatur: quibus & ætatis nostræ uitia gra-
uiter insectando, magnam probitatis ſuæ opinionem exci-
taret, & res magnas magnæq; deliberationis copioſe tra-
ctando, interiorum quoque & reconditarum literarum
cognitionem promitteret. Et quanquam iam tum obſcure
quædam iaciebat, quibus, ut nunc equidem opinor, uel fa-
niorum animos leuiter pretentaret, uel turbulentis inge-
nijs ſpem nouarum rerum aliquam iniſceret: tamen ſi qua
ratione ſcribendi initium ſibi fecerat, eadem cætera per-
sequutus fuifſet, cum nobis ſibi que omnino conſuluifſet

i 2 melius

LONGOLII ORATIO

melius, tum etiā ipse inter Christianos scriptores locū ho-
die tenere, neq; plane obscurum, neq; sane contemnendū.
Sed me nihil æque fecellit, atque religiosa illa & modesta
deprecandæ impietatis pertinaciæq; cautio, qua pañim il-
le usus, quæcunq; de reipub. Christianæ statu noua addu-
ccret, tum deniq; si ea collegio amplissimo, Pontificiæq; in
primis Maximo probarentur, sibi probatum iri testifica-
batur. E quidem cum iniquum esse ducerem, eum à me ex
natura mea non fingi, peiusq; de eo quam de me existima-
re, præsertim cum illa eadem sapientia confirmaret: non mo-
do bona illum nobiscum fide agere, & in officio fore cre-
didi, sed commodius etiam omnia facturum quam scripsis-
set existimau. etenim quem non ad excitandos ciuileis mo-
tus, iam olim damnatas quorundam factiosorum sententias
scelerate insidioseq; repetere, sed doctorum hominum ri-
tu eas disputando scienter atq; perite attingere arbitra-
rer. Nam cui per Deum immortalem, quicquam tale subue-
reri in mentem uenisset, præsertim uel in tam alta pacc, tan-
taq; omnium ordinum concordia, uel ab istiusmodi homi-
ne, qui inter nos natus, inter nos educatus, inter nos insti-
tutus & doctus esset, qui se Aurelij Augustini, uiri tum do-
ctrina, tum sanctitate clarissimi, & in republica maximis
causis, difficilimisq; temporibus cogniti atq; probati, æmu-
lum profiteretur, compluresq; iam annos inter eius fami-
liae sodales iuratus, si non aliqua cum laude, sine ulla certe
insigni ignominia uixisset? Ne multa: omnia prius arbitra-
tus sum fore, quam ut in eo tantum uel extaret sceleris, uel
reperiretur perfidiæ: quæ ego etsi nunquam à me uisum,
amabā tamen, idq; tum reipublicæ, quā mihi ex animi mei
sententia capessere uidebatur, causa: tum etiam communū
studiorū artiumq; quibus illum mihi coniunctissimum esse
spera

sperabam, gratia. Sed nō diu licuit bene de eo sperare, qui
quid animo aduersus rem publicā agitaret, nobis occultum
esse diu noluit. Alteris enim scriptis, nemo suspicari nō cœ-
pit, quid à primo spectasset, quid speraret. Tertijs porro
editis, nemo tam cæcus fuit, quin omnem illam pietatis exi-
stimationem ad confirmandam Hussianæ sectæ impietatē
collectam esse perspiceret. Veruntamen est quod ei magnā
nihilominus gratiam habeamus, qui illum nobis errore sta-
tim eripuerit: et abiecta boni tum uiri, tum ciuis persona,
sui consiliorumq; suorum penitus cognoscendi potestatē
nobis fecerit. Vedit enim tandem, uidit quod omnino futu-
rum erat: neq; dolos posse latere diutius suos, qui se iā pri-
mis illis quoque disputationibus in suspicionem seditionis
apud acutiores quosdam homines uenisse intelligeret: ne-
que quod clām machinaretur, id eo quem à principio spe-
rarat, exitu conclusum iri: paucos enim omnino ea ratio-
ne ad causam suam adiunxit. Redijt igitur ad male dis-
simulatos mores, cœpitq; aperte rem publicā oppugnare,
quam antea cuniculis euertere frustra tentasset. Sed quid
eget homo religiosissimus, & idem eo pudore præditus,
ut iam unus optimatum nationi conuitum suo quodam-
modo iure faciat, operæ preciū fuerit cognoscere, tametsi
uos nō ignoratis, qui ea quemadmodum agerentur, multi
spectare potuistis. Verū quia sic fere hominum uita est, ut
quæ nō facta nolimus, ipsi eadem dū audacter fiant, & se-
cunda aliqua fortunæ aura ferātur, nescio quo modo, rite
quoq; & ordine & iure fieri existimemus: quod tū forte,
cum Lutero conatus ex animi sentētia procedere uideban-
tur, minus absurdū in eo uobis est uisum, idē hoc uestro tē-
pore uel alio leuiter uos admonente intolerabile & im-
pium fortasse uidebitur. Iam primum facta manu, latus

i 3 suum

suum armatis hominibus stipauit:is uir, qui Christiano ho
 mini uel ad arcendam barbaroruū uim ferrum aspicere, reli
 giosum esse affirmaret. Sed ex quo tandem hominum gene
 re istam ille sibi quasi prætoriam cohortē descripsit? Nem
 pe ex eo, cui bello ciuili opus esse duceret. Sic enim ad nos
 allatum est, sic etiam conſpirationis iſtius fautores cōfiten
 tur: ita tamen ut inimicorum potentia metuq; coactum, ad
 extrema eum consilia descendisse cauſentur. Sed quacunq;
 ratione ad nouissimum auxilium descenderit, & se militi
 ri manu ſepſerit homo Christianus, quiq; ſibi nihil unquā
 magistratum imperio antiquius fore, ſolēni ſacramento
 pollicitus eſſet, neq; ſe pro tuēdis Christi præceptis ullum
 mortis genus recuſaturum ſemper prædicasset: certum eſt
 omnes eius Prouinciae damnatos, omnes ignominia nota
 tos, omnes ære alieno oppreſſos, omnes exilio infamia que
 dignos multa ſpe & promiſſis ab eo teneri: Præfectos au
 tem tam numeroſae cohortis eū habere duos, atq; hos ipſos
 concordiæ Christianæ multo inimiciſſimos. Alterū ſummo
 quidem loco natum illum, & ualentem ſanè hominē, ſed ta
 men audacia magis & ſæuo inter eās gentes latrocinio,
 quam generis nobilitate inſignem. Alterum equeſtris ordi
 nis, at non item census, quem pridem deuorarit, nudū pla
 ne, neque tamē aut infantem aut infacetum equitem. Illiū
 eum bona militiæ opera uti audio, ob ſæpe ſpectatam homi
 niſ tum in ſpoliandis iugulandisq; qui illac iter facerent,
 negociatoribus, tum in depopulandis finitimorum agris,
 uirtutem atque diligentiam. Huius glorioſa domi exquire
 re consilia, quippe quem conſtet animo eſſe tam ſeditioso,
 quam iam ſit multis acceptis uulneribus ad bella geren
 da corpore infirmo & prorsus inepto. Nostis puto ho
 minem, altero crure claudum, humero ſtrumofum, ocu
 lo cap

M.
Mendris

lo captum, ac morbo tum comitali, tum eo qui libidinem eius obscenis pustulis indicet, fœde misereq; consecutum. Scurram illum dico equitem, qui cū muros uel scriptis suis risus uulgo facere conetur, non minus tamen crudeliter bonis omnibus interim minitans, bellū reipublicæ indicit atque denunciat. His itaq; ille præclaris ducibus quasi duabus incendijs sui facibus fretus, neq; tamē interim ignarus, quam apud ociosam perditamq; plebem grata esset futura fortunarum bonorumq; omnium adæquatio, ac iucunda in primis Principum uirorum ex agitatio: munire se hac quoq; ratione cœpit. hoc est eodem tempore & plebis uicem miserabiliter deplorare, & Principes ipsos in crimen iniuriamq; absentes uocare, & in bonos omnes quo iure, qua iniuria nominatim declamare. Quod cum apud populares suos sibi non omnino incommodo cadere uideret: simul & graui illa denunciatione incensus, qua sibi homo modestus aliquando tandem edictum fremeret, nisi ab ea mente desisteret, atq; improbis cōcionibus finem faceret, fore ut neq; amplissimo collegio consilium, neq; Pont. Maximo autoritatem, neque bonis omnibus ad coercendos seditionum conatus facultatem uirtutemq; deesse intelligeret. Ea inquam quasi atroci contumelia incitatus, animum statim ad arma & uim adiecit: nihil iam nisi atrox & crudele cogitans, nihil nisi monstra loquens: Pontifici collegio que iratus, & ijs omnibus qui rempublicā saluam uellent, infestus atque intolerabilis. Hinc crebræ illæ turbulentæ que conciones: hinc tot propositi passim famosi eius atque sacrilegi libelli: hinc tot Europe diuisa, tot impia impij hominis scripta atque monumeta, quibus eos qui à solitudine nomen induissent, uoluntarios Christianæ reipublicæ seruos omni sacramen-

i 4 tī rel

ti religione exolutos ad libertatem uocaret, exilibus reditum pararet, tabulas nouas induceret, ac redactio in ordinem Pont. Max. item que cæteris amplissimis sacerdotibus omnibus, publici consilij autoritatem, sacrorum curationem, religionum interpretationem, uniuersum deniq; ceremoniarū ius, non modo ad plebem trāsferret, sed prophanic etiam hominibus communicaret, dicam, an contumandum uiolandumq; proponeret? Omitto ea quæ contra sancta maiorum nostrorum instituta de diuinæ hostiæ ratione, de religiosa illa & lustrica scelerum confessione, de pontificia criminum abolitione, de manium expiatione, de sacris maritandis ordinibus, infirmandis iudicijs, abrogandis legibus portenta inuexerit: quæ et si leuiores quædam ad euersæ reipublicæ mala accessiones uideri possunt, sunt eius tamen generis, ut non minus quam illa pestifera sint, & ad animorum nostrorum insaniam perniciemq; scelerate excogitata. Quorsum igitur hæc cōmemoratio: quorsum: ut quod aliqua fortasse animi perturbatione impediti adhuc facere nō potuistis, aliquando perspiciatis, aut quanto uestro periculo iste insaniat, aut quantum eius inge nio tribuendum sit, qui non modo de prisca illa Heroicorum temporum maiestate instauranda nihil sincerum cogitat, sed ad miseras illius reliquias, quæ una consentiētis ciuitatis concordia niterentur, delendas, noua quadam atq; importuna audacia grassetur. At enim ita affecta sunt pleraq; omnia & debilitata recipublicæ mēbra, ut ciuis plane nō sit, qui ista uel probet, uel etiā tacitus ferre possit. quasi uero, quoniā cæteris ferè ornamētis suis respublika orbata sit, ocio quoq; & pace, & in qua hodie una acquiescimus ciuiū cōfessione, à nobis metipsis eā spoliari cōueniat. At iam pridē uera illam et germanā cum pacis atq; ocij, tum etiam.

etiam gubernandæ reipub. rationem ita amisimus, tantaq; est perturbatio rerum omnium & confusio, ut bono cui= quam dissimulandum iam non sit. Quis uero hoc negat? quis nō uidet? quis priscam illam uel nascētis uel adolescen= tis religionis Christianæ ætatem nō desiderat? quis nō de= niq; honorū in extrema hæc tēpora ætatem suā incidisse, uehemētius dolet, & interdum etiā ingemiscit? Ego quidē ipse, qui sacerdotum, uel potius reipublicæ causam hic ui= deor agere: quam si ago, uestra certe potissimū causa nunc ago: ego ille in quam qui me sacerdotū nationi fateor esse amicijsumū, cū reip. casum atq; orbitatē uobiscum lugeo, tū uero multa in plurimis eorū qui publico concilio præ= sunt, desidero: idq; præ me semper tuli, mihi nō satis proba= tos esse ne antistitum quidē ipsorum mores, quos pugnan= tibus illis inter se uitijs, luxuria & auaritia, ignavia et am= bitione haud leuiter infectos esse negare nemo potest. Sed cū rempub. non iccirco odisse, quod deformior sit, sed po= tius eius uicē dolere debeamus & miserari, quod huc cala= mutatis reciderit: tum etiā alia est omnino improbadæ cau= sæ, alia uitæ hominum improbandæ ratio: aliud reipubli= cæ Christianæ statū damnare, aliud malos magistratus ac= cusare: quanquam, si uerū fateri uolumus, huiuscē mali cau= sa nō tam in principibus et magistratibus, quam in nobis= metipsis tota residet: qui cū sciamus, qd factu sit optimū, eoq; nos leges et patrū decreta uocēt, nescio quo tamē mo= do malumus in eos qui rēpub. gerat culpam omnē semper trāsferre, quam uel nostram ipsi quandoq; agnoscere, uel etiā legibus ipsis parere. Illud quidē sane inficiabitur ne= mo, aliquāto esse adhuc tolerabiliores eorū mores, quorū nūc in potestate sunt omnia, quam nostra ipsorū hodie ui= ta mercatur. Nec enim dubiū est nos multis nostris peccati=

i s tis

tis in hanc reip. noctem iampridem incidisse. Sed quid uitios nostris molliore oratione blandior: ipsi nos, ipsi scilicet uel ambitione, uel commodo, uel alia quauis cupiditate nostra ducti, principes sua sponte haud ita malos, uel etiā omnino bonos ad hoc genus uitæ solicitamus, dum eos modo inter se commuttimus modo in priuatos concitamus, modo obiecto falsæ gloriæ splendore deprauamus. Quid multa stet in statione quam quisq; sortitus sit, et in uigilia sua pars ciuiū optima: statim fungentur officio uel inuiti suo & magistratus omnes & reip. principes omnes. Neq; uero hæc à me perinde dicuntur, quasi principum flagitia priuatorum scelere excusata esse uelim. Scio enim quātum iij cæteris omni uirtutis genere præstare debeat, qui omnibus imperant: sed ut ista labes hominum, omnia omniū delicta in solos principes tam acerbe conferentium, in sese aliquando ipsi descendant, atque profligatæ reipub. causas tum sibi, tum sui simulibus magna ex parte acceptas, referendas esse cognoscant. Sedentes ne igitur, & per ocium, tam perditorum temporum cursus spectabimus? Minime nos quidem, sed huic tanto malo pro se quisq; studiose opitulabimur. Quonam isthuc modo? Non seditionis quidem concionibus tumultus excitando, non exitiosis scriptis bonos territando, non improbis secessionibus spem sceleratis ostendendo, non frameis & gladijs fidem de foro, ius de tribunalibus, autoritatē de rep. auferendo, nō eo deniq; auxiliij genere, quod ipso morbo multo sit grauius atq; perniciosius, huic pesti succurremus: sed ijs plane remedijis quibus Benedictus, Frāciscus, Dominicus, Bernardus, ac cæteri amplissimi, persuasionisq; nostræ amantissimi uiri, suis quisq; temporibus labenti atq; inclinatæ reip. opem feren dam sapienter iudicarunt. Quibusnā istis: precibus, lacrymis,

mis, ieunijs, summa totius uitæ innocentia à Christo Opt.
Max. suppliciter contendendum est, ut pro cuius reip. salu-
te ipse se deuouēdum putarit, hanc ægrotam ac propè de-
positam aliquādo respiciat, eiusq; principibus eam det mē-
tem atq; facultatem, ut quæ sustineant munera, ea ipsi rite
atq; ordine tueātur & obeant. Nec interea tamē nobis ces-
sandū arbitror, sed quibus hominem Christianum armis
sine suo scelere aliij uim afferre licet, ijs nimurum rem geri
placet: hoc est, tum priuatim, tum publice cūctos ad leges
seruandas admoneri, ad uirtutem cohortari, studiose doce-
ri, scuerius etiam interdum obiurgari, sed ita ut uitia, non
homines odisse uideamur: atq; nos in primis tales præste-
mus ipsi, qualem esse cæteros & cupimus & æquum cen-
semus. Mutationem uero reipublicæ, cuius & fundamenta
Christus ipse iecerit, & ædificationi semper fauerit, præ-
sensq; numen eius adfuerit, me quidē autore molietur ne-
mo, ctiā ut uulgo in ea grauiter peccetur. Nullis enim hoc
opinor legibus, nulla institutione, ut ne qui peccent, hoc
quidem tēpore præstare possis. Nam erunt uitia, ut quidē
est in proverbio, donec homines: ut uero nobis sancte per-
suasum est, quoad iam senescēt & ad exitū tendente mū-
do, genus humanum omne diuinitus resipiscat, et ad Chri-
stum Opt. Max. unum amādum, colendum, uenerandū to-
to pectore incumbat. Interea si qui sunt animo tam tene-
ro, ut quæ fiant neq; ferre, neq; uidere, neque etiam audi-
re possint: licet abstrudant se uel in remotas aliquas, et ab
omni arbitrio liberas, uel sequantur has ipsas quas in me-
dijs spectamus oppidis, cum religiosis clausas septis, tum
ab omni prophanorum hominum usu uacuas solitudi-
nes, in quibus uiros bonos innumerabiles, & olim
tranquillam ætatem egisse, & etiam nunc optimæ sue
mentis

mentis conscientia fretos atque beatos, considerare non ignoramus. Sit haec igitur nobis quidem constituendae corrigen-
dæque; reipublicæ Christianæ adumbrata atque informata ra-
tio: quæ ipsa nec à diuinis præceptis est aliena, et sanctis
simorum uirorum exēplis multarumque; ætatū usu compro-
bata. Sed ut ad eum de quo nobis instituta est oratio redea-
mus: obsecro uiri optimi, quale uobis spectaculum illud ui-
sum est, cum Mart. Luterū inter perditos illos et scelestos
homines medium regio spiritu incedētem, atque ex despera-
ta illa plebis sece in cōcionem censorio supercilio consen-
tentem intueremini: cum uero cundē in recip. principes no-
minatim aperteque; incurrētem, cū in uirorum sanctissimo-
rum memoriā petulantissime perorātem, cum tot summo-
rum Pontificum decreta, tot Pop. Christiani scita furiose
et impie comburentem, breuiter cum illum inflammato
ore, ardētibus oculis, Pont. Maximo sacris interdicentem,
Italiæ uastitatem, urbi Romæ excidium crudeliter et im-
maniter minitantem audiretis: uenit' ne unquā uobis in mē-
tem de Iesu Christi conseruatoris nostri, et generis huma-
ni parentis pudore atque patiētia quicquam cogitare? Qui
cum ea esset uirtute ornatus, ut diuinitatis exempla ederet
omnibus admiranda: ea doctrina instructus, ut doceret quæ
essent ad animorum salutem immortalitatemque; optima: ea
potestate præditus, ut posset non dubie omnia, nullum ta-
men aduersus eius ætatis principes insolentius uerbū pro-
tulit, ac ne tum quidem, cum ad seruile supplicium ab impor-
tunissimis hominibus indignissime raperetur, quicquam
questus est. Quid nihil esse questū eum dico, quæ in crucē
ipsam iam actū, et omni adeo cruciatus genere laceratū,
eis ipsis qui illam sibi fixissent, bene precatū esse constet?
Atqui nouus iste noster legū scriptor, se ad illius unius in-
nocen-

AD LUTERIANOS.

141

nocentiam & sanctitatem uitæ suæ statum omnem direxit
se apud uos interim magnifice gloriabatur. Eo quidē cer-
te nomine cæteros ciues, etiam eos qui iam olim de repub.
Christiana optime sunt meriti, fastidit & aspernatur.
Aspernatur autem & imò uero cōtumeliosissime ubiq; illos
exagitat & insectatur. Anacletum quidem, qui & Romæ
Pontificatū summum gesserit, & pro Christi persuasione
impij ferri crudelitatem non dubitanter subierit: qua por-
cum, qua belluam identidē appellat. Isidorum uirum reli-
giosissimum, & quod ante Luterū nemo negauit, sacrarū
literarum peritissimum, nunquam fere nisi canē cognomi-
nat. Eum uero qui Leonis nomē ex Romanis Pontificibus
princeps secutus sit, nec literis minus & eximiæ cuiusdam
doctrinæ gloria quam singulari quadam morū grauitate
atq; pietate floruerit, quasi ambitiosum & uanum ubiq;
compellat. Bonaventuram ex Francisci Aſſisiatis familia
(at quem uirū plane diuinum) tanquam nihil & ineptū
hominem paſſim deridet. In Thomam uero Aquinatē ui-
rum amplissimum, quo quidem ætas illa neq; doctius aliud
tulit, neq; religiosius quicquam uidit, modo quasi in præ-
stigiatore & sophistam ingreditur, modo tanquam in im-
peritæ multitudinis mancipiū atq; uulgi adulatorem inua-
dit. sed quid singulos colligo: quasi aut melius ista ipse no-
rim quam uos qui omnibus penè eius cōcionibus interfui-
stis: aut tantā illius in uiros optimos atq; clariſſimos, quo-
rumq; uirtutes iam cōsecratae sint & in diuorum numero
collocatæ, feritatē, sine summo animi mei dolore cōmemo-
rare possum: Sed tamen qualia uobis, per deū immortalem,
uisa sunt cōvitia illa quæ ex impuro illo & sacrilego ore
in homines de republica ita meritos euomerentur: Mihi
quidē eadem modo legēti, eam orationis speciem præbue-
runt,

runt, ut nō eius qui se hodie unū omnium Christi studiosis= simū esse prædicet, uerba mihi uiderer agnoscere: sed bar= baram potius & immanē in nomen Christianum grassan= tis, uel Celsi cuiusdā, uel Porphyrij, uel Mahumetus ipsius= uocem exaudire. Ne hic eos à me probari existimetis, qui= unum uel Io. Scotum, uel Thomā Aquinatē semper in ma= nibus habeant, ament, dilaudēt; Paulū uero Tarasensem at= que quatuor illos Christianarum rerum autores religiosis= simos, aut penitus ignorent, aut quasi nō satis exquisitos= in disputando atq; accuratos Theologos negligentius le= gant aut etiam aspernētur. Nam si qua unquam in re mihi= Luterus minime uisus est desipere, in eo est certe, quod hoc= ipsum hominum genus acrius à se & saepius obiurgatum= esse uoluerit. Verum nō iccirco neq; Scotum neq; Thomā= neq; illius ordinis cæteros quasi teterimi alicuius sceleris= reos perpetua oratione insectari debuit, quos & summa= uitæ integritate, et admirabili quadam diuinarū humana= rumq; rerū cognitione optimi cuiusq; iudicio cōmēdatos= esse non ignoraret. Neq; uero sum rerum humanarū tam= rūdis, quin sciam eos, quos quasi diuinis quibusdam & ar= tibus instructos & moribus ornatos admiramur, homines= tamen fuisse: hoc est tales, qui potuerint tum aliquid nesci= re (nam qui etiam facile summam doctrinæ laudē sunt cō= secuti, multa sciuerunt, nō omnia) tum à summa illa recte= uiuendi ratione nō nunquam aberrare: uni enim adhuc Ie= su Christo uirtus perfecta perpetuaq; cōtigit: sed illud itē= certò scio, cum probi esse existimatoris, & in cēsendis ma= gnorū uirorū ingenij haudquaquam iniqui, uitia pēsare= uirtutibus: tū ubi maior uitæ atq; ingenij pars steterit, eō= nos animi nostri iudiciū atq; sententiā omnem ingenuē ac= liberaliter cōferre oportere. A' qua quidē recte existimādi= equi

AD LVTERIANOS.

143

æquitate quam lōge Mart. Luterus abfuerit, illud uobis sa-
tis indicarit, quod in omnes fere sacros scriptores, sed in
hos potissimum quasi minorum gentium persuasionis nostræ
interpretes furēter inuectus, alios indoctos & ineptos, a-
lios nugas & barbaros, alios scenicos & poëticos, alios
impostores & impios, alios belluas, canes, porcos, asinos
uocitarit, atq; his etiā multo fœdioribus sex centis uocabu-
lis sibi in perpetuum notados defigendosq; duxerit. Esto
nullam illi politioris humanitatis partem attigerint, nullā
rerum externarum memoriā tenuerint, nullos temporū or-
dines, nullos ætatū gradus cognouerint, deniq; literas qui-
dam plane nescierint: iusta' ne tamē ea tandem sit causa, ut
homines sanctissimi, & quod cōstat, è disciplina Christiana
doctissimi: quod deliquerūt, non in religione, nō in rep-
peccarunt, sed in leuiorū tantummodo studiorū cognitio-
ne rudes extiterūt: ab isto nescio quo, cōtumeliosissimis no-
minibus petulantissime diuexētur? Et miratur adhuc quis=
quam uestrū Luterū apud bonos omnes male audire, qui
tā maledicus sit: uel ab ijs ferreū ipsius os graue interdum
cōuitio uerberari, qui sibi perpetuā iustumq; pro tantorū
uirorū ornamētis propugnationē suscepere aduersus eum
hominē qui omnis humanitatis oblitus neq; sacræ mortuo-
rū memoriæ unquā pepercit, neq; quicquā habeat delibe-
ratius quam in eorū studia, literas, uitā cōtumeliose incre-
pādo, oīm nomini uel perpetuas tenebras offundere, uel ad
posteros infame id et notatū trāsmittere? Sed alio prorsus,
alio atq; tu speres, homo amētissime exitu res tota conclu-
detur. Nam & illi quam adhuc apud omnes mortales di-
gnitatis uirtutisq; suæ gloriam obtinuerūt, eā apud omnē
quoq; posteritatē augustissimorū monumentorū suorū reli-
gione facile tuebūtur: et tu, quod unū potissimum præposte-
re ambis, quoq; ut potiare, omnia diuina & humana iura
peris

peruertis, assequere quidem illud, & fortasse uiues: sed in
pœnam, mihi crede, & in ignominiā nobilitatus uiues, non
fanè aliter scelere tuo sempiternæ hominum memoriæ cō=
mendatus, ac Iudæ perfidia, Arrij insania, Diſcori arro=
gantia, cæterorumq; seditionis orum impietas hodie comme=
moratur, & ab optimo quoque detestata uulgo etiam exe=
cratur. Vos autem ne hæc à me acriore ullo in hominem
odio asperius dici existimetis, quo etsi dignissimus est o=
mnino qui non modo aperte, uerū etiam gratis libenterq;
cum republica susceptum bellū impie gerat: tamē ita Chri=
stum propitium ipse habeam, uosq; saluos uideam omnes,
ut eum quoque saluum & in columem nobiscum esse iam=
pridem studui, et etiā nūc exopto. At qui reipublicæ deesse
non possum, cui tam sum amicus quam qui maxime, neque
uos ab ista mête deducere nisi fontes sceleratissimi eius cō=
silijs aperiā, & qualis is sit, quo duce à recta religionis uia
in Hussianorū sectam aberrastis, uobis hic planū faciā: idq;
paulò quam uelim nonnunquam seuerius, ne nos uidelicet
causæ nostræ parum cōfidere existimatis, si cū hoste multo
leuius quam ille cū ciuibus suis egerit, semper agere uidea=br/>mur. Sic enim uos ab eo persuasos esse audio, ut quisq; sen=br/>tiat optime, ita improbos insectari acerbissime. Qua quidē
ratione etsi in nemine iustius quam in illum ipsum qui hæc
legē tulerit, eamq; cōtumeliosissimis suis etiā scriptis san=br/>cuerit, in uehi nos et declamare oporteat: tamen erit apud
me antiquius quid uel causæ nostræ dignitas postulet, uel
etiā hoc in genere natura mea ferat, quam quid petulātia
eius atq; odiosa peruersitas mereatur; nisi si quādo fortas=br/>se importuna eius audacia uictus atq; expugnatus, ab hac
animi æquitate deiſciar. Quod sicubi casu aliquādo cōti=br/>gerit, par erit, opinor, ut iusto meo dolori ignoscatur: nec
ego

ego me indigna dicere existimer, cū illo digna quædā di-
cere interdum uidebor, qui me eò necessitatis pertraxerit,
ut modestiam meam sine summa præuaricationis suscipio-
ne tueri non potuerim. Quare uos ne in ea quidē opinio-
ne diutius errare patiar, ut eū si non satis neq; prudētem,
neq; in scribēdo moderatū, bonū saltem uirū & frugi esse
arbitremini, quē quasi continentem & integrum hominē
nonnulli uulgo cōmendare non desinunt. Ego enim si quē
ea integritate præditū esse certo sciam, ut nullis auaritiæ
sordibus capiatur, ea grauitate & pudore septū, ut omnes
corporis uoluptates seuere excludat: laudem quidē ijs no-
minibus hominem, sed non propterea tamen eū esse uirum
frugi continuo iudicem. Maius est omnino & splendidius
probitatis nomen, quām ut duabus hisce uirtutibus ampli-
tudinem suā tueri possit. Atq; ut hic omittam quamq; in-
certum sit id de quo eum uno isti dilaudant (neq; enim ea
res cuiquam explorata esse queat) quēq; abstinentia ista in
illo uirtutum choro locum obtineat (obtinet enim, credo,
infimū) bonum eum tu mihi iustūq; hominē appellas, qui
ceteros præ se impotenter aspernetur? qui meliores calu-
mietur? qui defunctorū innocentiam insectetur? qui odio
æstuans, iracundia ardens, in contumeliam præceps fera-
tur? quem perfidia insidiosum, leuitas seditionis reddide-
rit, quem cæca uel dominandi, uel nominis sui in honorē
adducendi cupiditas ad legum reiq; publicæ interitū sti-
mulet ac propellat? Omnibus necesse est omnibus non uno
aut altero uitio careat is qui se frugi & bonū uirum hac
in rep. & dici & esse cupiat. Nemine superbe contēnat,
neminem falso criminetur, nō in alterius exitiū iracūdus
incurrat, non inimicitias libēter gerat, datam fidē sancte
præstet, sacrā mortuorū memoriam religiose colat, huma-

k nitate

nitate & benevolentia quo ad eius fieri potest, cōpleteatur omnes, postremo nihil ciuium suorum pace atq; concordia sibi ducat antiquius. Hæc qui faciat, etiā si aut ad rē paue lo uideatur audiōr, aut à uoluptatibus interdum nō alie- nior, possit fortasse uir bonus dici, atq; id ipsum tamē uul- gi adhuc & populari tantū opinione, non itē ex persua- sionis Christianæ formula atq; sentētia: ad cuius quidem præscriptā uiuendi religionē si quis Martini Luteri actā uitā & facta nūc dirigat, quiduis certe potius quam è reli- gione Christianus esse reperietur. Quid enim tā alienū ab hominis Christiani instituto, atq; præ gloria potentia' ue sua Christianæ reip. statum nō modo seditiosis concioni- bus & famosis libellis, sed barbaricis etiā minis & armo- rū terrore oppugnare? Neq; enim ignota sunt quæ ille de cogendo impiorum exercitu molitus sit, quæ de ijs omni- bus qui à se in rep. dissentiret, consilia inierit: quæ etsi in eū ipsum eiusq; sectatores statim nō uertissent, sunt ea ni- bilominus tamē eiusmodi, ut eū esse mente minime omnium Christiana, fidē uobis aperte facere iā tum potuerit. Age uero senserit ipse de rep. unus ex omnibus optime, qui qui dem omniū iudicio sentiebat pessime: nū plus tamē hominē modestū, & ciuilis officij nō ignaru, quam nobis probare poterat, cōtendere oportuit? Neq; enim si resp. priuatos aliquot, quos ipsa persuadēdo regere nō queat, potest suo iure cogere: iccirco paucis liceat, cū persuaderi populū posse diffidat, uim reip. atq; bellū ciuibus suis inferre? Ea- dem est enim, si forte admonēdi estis, patriæ in ciueis, quæ patris in liberos potestas. neq; sane magis priuato cuiquā reip. arma intētare fas est, quam filio ius, parēti manus ulla ratione afferēdi. Vnā porro esse Christianis omnibus com- munē & patriā & ciuitatē & rep. quæ nos sacris illis li- quoribus

quoribus delibutos atque perfusos exceperit, quæ salutareis initiatis leges, ad quarū præscriptū uiueremus, descripserit, neminē uestrū dubitare arbitror, haud profecto magis quam de eo honorū quenquā ambigere, siquē unquā, Martinū certe Luterū hodie in seditiosis & perditis ciibus, si modo istiusmodi homines ciues appellandi sunt, omnino numerandū atq; habendū esse, qui cōposita iā olim legibus & cōstituta Patrū decretis rep. omnia per vim ex oppressionē turbare, miscere, euertere tentarit. Atqui neq; eo magis uir bonus existimādus est: quod nullū eius certū præterea sceleris crimē in priuatū aliquē hic à me proferratur. Nā neq; ad accusandū hominē huc descēdi, nisi quatenus uos à uera religione ad impiæ istius sententiæ opinione abstraxit: neq; qualis in quotidiano & domestico esset usu, mihi magnopere quærēdū putauī, qui qualis in cōmu ni uitæ cōsuetudine, et in rep. esset uiderē, neq; uero siquid crudeliter, libidinose, fraudulētē priuatim cum commisſe alicunde resciscem, id quoq; mihi cōmemorandū hic ducerem: qui cum uos non aliter ab ista sententia deduci posse uideam, nisi scelestum hominis animum hic patefactam, tamen inuitus illius in uos remq; publicam & fraudes & crudelitatem attingam, mihi plane interim cōscius & quam ob eas res intimis sensibus angar, & quam non libenter in hominem, qui se Christianū esse affirmet, quantumuis iusta de causa dicā. Quare tantum habetote, alijs inflammari cupiditatibus uulgi animos, alijs ambitiosorū mētes hominū facibus incēdi. Ab ijs qui inanis modo laudis opinioni & regno suo seruiunt, plebeia ista et popularia uitia omnia astute cōpesci, ut etiā cū maxime fallat, boni uiri habeātur. Ab illis quos nulla neq; principatus neq; propagādi nominis sui curatāgat, præsentē modo et refor-

k 2 midari

LONGOLII ORATIO

midari pœnam, & .consectari uoluptatem. Ac profecto humilioris atq; angustioris est animi, ullo uel sordidae pecuniae, uel effeminatae uoluptatis studio teneri: eius autem qui uulgi sermonibus sit deditus, uiliora ista contemnere, aut certe dissimulare, dum summa multitudinis admiratione amplissimum nomen consecutus, id etiam aliquando assequatur, ut omni imperio & honore dignus tandem iudicetur. Quod porro se Martinus Luterus haec omnia quae faciat, reipublica facere dictitat: Primum quis ei hoc ipsum credat, quem priuato consilio tam multa aduersus honorum omnium consensus turbulente miscere uideamus? Deinde ut etiam ex sacris literis aliquid afferat, uel potius ad causam suæ comodum ex ipsis aliquid detorqueat, quo conatus suos quasi diuinos nobis probet: ecquem unquam scditiosum tam stulte arrogantem fuisse putatis, quin & è religione ea esse affirmarit, quibus sibi ad res nouas uiam muniret, & actionibus suis diuinorum in primis librorum autoritatem praetenderit? Nam qua tandem ad perturbandam rem publicam fiducia accessissent, nisi ea à se afferri confirmassent, quae cum essent omnibus utilissima, tum uero diuinis preceptis tradita, atque uel Petri uel Pauli, uel alicuius de duodecim illis Christi legatis autoritate iam olim comprobata? At ea est Martinus Luterus tu integritate, tu continetia, ut ipsis nominibus apud populares suos bene in primis audiat. Quidem quasi uero factiosorum quenquam tam profligatis moribus unquam fuisse existimetis, ut nulla omnino aliquarum uirtutum tu uel expressa uel adumbrata signa habuerit? Nam quid Manichæo, quid Apollinari, quid Macedonio, quid Porphyrio, quid Nouatiano obiectum putemus? Avaritiā ne, an impudicitia? Neutrū certe, cum eos ne leuisima quidē huiusmodi uitiorum suspicio attingeret, & sancta rectisq; studijs

Studijs dedita uita uulgo etiam cōmendaret. Nullū igitur
criminandæ uitæ suæ locū reliquerunt? Nullum omnino,
quod quidcm memoriae proditū sit: sed causæ damnandæ
suæ occasiones dederunt plurimas, atq; ea una re damnati
sunt, etiā ab ijs, apud quos in moribus diu fuissent. Quid
ita? quod impiam ipsorum mentem & superbā, cōtra to-
tius reip. consensum, peruicaciam omni priuato crimine
grauiorē ducerent. Quo pacto? quia peruulgata & quoti-
diana ista delicta, et si diligenter vindicanda essent, tamen,
uel impetu plurimū committeretur, uel ad paucos omnino
uenirent, uel suos etiā tantum sequerentur autores. Quid
tum: leuius id esse rati sunt maleficium, quo pauci temere,
quām quo multi de industria grauiſſime laderentur. Eos
autē qui de deo, de religione, de rep. male palam sentiret,
nō tam priuatis aliquibus aduersari quām cū superis ipsis
bellum impie gerere, tū etiam imperitæ multitudinis ani-
mos ad eandem sectandā impietatem, euertendāq; religio-
nem nefarie solicitare. Quo id tandem illos modo: tū pro-
babili scilicet disputationum suarum ratione, tū uero ma-
gis aliqua probitatis uirtutisq; opinione. Nunquam enim
pronior est religionis lapsus, quām ubi quis magna reli-
gionis doctrinæq; fama impiae rei sanctitatis pōdus et eru-
ditionis autoritatem afferre uideatur. Eadē est igitur nimi-
rū Mart. Luteri causa, quāquam illis iure quidem optimo
damnatis, insignē omnino facio iniuriā, qui eos huic pesti
atq; labi nūc conferam. Quid enim in illis uel præter sanā
mentē quisquā desiderauit, uel præter pertinaciā grauius
aliud accusauit? cū nihil iste interim cū eorū ornamenti
atq; laudibus cōmune habeat, pertinaciā tātū et seditiosæ
eorū mētis sensum imitetur. ita tamē ut illorū singuli, alijs
atq; alijs tēporibus, unū quiddam, id tum, cū nondū reip.

k 3 ratio

ratio plane cōstituta esset, obstinatius tutati sint: iste quic
quid unquam à quo quis in religionē excogitatū sit ac reip.
ipsius iudicio palām damnatū, hoc tēpore cōtumaciter &
pertulāter defendat. Breuiter cū illorū causæ præter cau-
sam fuerit penè nihil, huic autē hodie præter illā latronū
manū nihil omnino adsit: etenus illis cōparatus existime-
tur, ut si nō aliā ob causam, iccirco quidē certe uir bonus
neq; esse neq; dici posse intelligatur, quod superba tū men-
te, tū oratione Po. Christiani iudiciū nō modo ludibrio ha-
buerit, sed se etiā illud ui et armis, quādo aliter nō posset,
correcturū pronūciarit. Nemine enim uestrū latere puto,
quid'nam Pont. Maximo respōderit humanissime per le-
gatos suos monēti, ut si quid uel in quo de religione addu-
bitaret, uel quod reip. statui conducere arbitraretur habe-
ret, id ne in ultimis apud imperitā plebē terris seditiose ia-
ctaret, sed Romæ in ipsa hominū luce, in amplissimi colle-
gij uel potius in ipsius reip. sacrario religiose exponeret:
fidē publicā si postularet, se hanc ei bona fide daturū: pe-
cuniā in uiaticū si peteret, hanc quoq; ei se liberaliter cu-
raturum. Hic ergo uos iudices ipsos plane cōstituo. credo,
fuerit' ne hominis Christiani, mitto non parere, uerū ad ea
sic respōdere, ut diceret se nō solum summo Pontifici di-
cto audientem nō futurum (quod certe ipsum, cuiusmodi
esse dicemus?) sed cū sibi uideretur cōmodum, se ad euer-
tēdā eius tyrānidē cū maximis gregaliū operarūq; suarū
copijs Romā uētūrū. Quid q; Cæsari Senatuiq; ad otium et
ad pacē eū comiter adhortātibus, cōtumaciter ob os et im-
pie gladiatorioq; animo rcspōdit: ac plane præ se tulit, ge-
stire sc, q; discordiarū et armorū autor generi humano es-
set: idq; se Christi exēplo facere homo religiosissimus ibi-
dē prædicauit: Perinde uero cū Christus bellū à se nō otium
terris

terrī allatū diceret, terrarū nomine barbaros & omneis
à uera pietate alienos homines nō significaret quo s aduer
sus persuasionis Christianæ religionē nefariū & inexpia
bile bellū statim gesturos esse praeuiderat. Suæ certe disci=plinæ alūnos, atq; eos ipsos Christianæ religionis antisti=tes mox futuros etiā tū, cū in cœlū sese ipse iā reciperet,
summa illa oratione nullius rei diligētius admonēdos pu=t
tauit, q ut pacē mutuāq; inter se charitatē coleret, atq; ea
rū rerū cura nihil antiquius unquā haberet. Hic uero qui
se hodie unū Christi Opt. Max. emulū et diuinū sacrorū
librorū interpretē, quasiq; Esdra adeo Paulum alterū esse
glorietur: nō Turcarū, nō Arabū, nō Persarū, nō cætero=rū itē barbarorum, quos etiā armis nostris uexari fas esse
neget: sed Christianorū plane omniū, sed Pont. in primis
Max. sed Senatus atq; Cæsar is etiam ipsius religiosissimi
principis hostē se aperte profitetur. Quod cū ita sit, & se
talē Luterus etiā aduersus eos gesserit, quibus semel Pop.
Christianus, ac potius deus Opt. Max. ne quid resp. detri=meti acciperet, negotiū dedit: nemini iā, puto, mirū uideri
debet eū ab altero, qui pontificio iure in impios uteretur,
quasi male de religione sentiētē, uel potius cōtra cā multa
machinātem, ex sacra hominū cōmunitate exterminatum
esse: ab altero qui rēp. armis tueretur, etiam maiestatis da=mnatū, & in hostiū proscriptorūq; numero habitū. Quid
enim illi facias, aut quæ nobis cū eo homine societas iā esse
possit, qui nec legibus obtēperet, nec magistratibus pare=at, nec melioribus morē gerat, nec quicquā magis q ciuiū
suorū otium & pacē metuat: qui deniq; ad excitādos Pop.
christiano funestos tumultus, omnē ingenij sui uim atq; im=petū cōtorqueat: Profecto uti peritiores medici ea mēbra
statim uel adurere uel amputare solēt, que ipsa cū putribus

corrupta sint ulceribus, etiam integris corporis partibus uitium & labem afferunt: sic istiusmodi hominum pestes, quavis ratione à communi tanquam humanitate corporis resecandas esse sapientissimus quisque semper iudicauit. Verum non id à nobis hic agitur, Martinum Luterum dici, quem conuiciat, quo' ue affici tandem supplicio sit æquum: id enim nec dubium est, & legibus, opinor, satis definitum: sed num in eo tanta elucentia uirtutum ornamenta, ut ipsius unius sententiam totius reipublicæ autoritati à uobis antelatam esse oportuerit. Atqui duas tantum, atq; illas ipsas eiusmodi, ut ijs caruisse omnino sit turpius, quam eas habere præclarum, in eo nonnulli uirtutes admirantur: nimurum ignari quam istæ illi cum multis hodie sint communes, quot tamen præ Lutero suo contemnunt omnes, nec in eo ipso satis exploratae, in quo tamen ex tanto uirtutum numero sole, tam ambitiose laudentur. Quis enim se uel pudicitiae uel integratatis eius periculum diligenter fecisse affirmare audeat? Neq; enim facile id est, neq; semel & iterum, neq; modicis in rebus istiusmodi hominum animos tentasse satis est. Multos annos in magna occulte peccandi tum facultate, tum licentia, innocenter uixerit, opus est is, quem mihi singulari uel pecuniarum uel uoluptatum contemptu commendatū esse cupias. Nec enim cuiquam qui aliquo sit tractandarū rerum usu, obscurum esse potest, quanta sit humanæ uitæ uanitas, quanta etiam in plerisque naturæ imbecillitas, ut ne possint quidem multi, aut etiam si uelint, peccare, tamen audeant: quam denique flexibilis sit hominum ad sustinendam omnem tum uirtutum simulationē, tum uitiorum dissimulationem, frons, oculi, uultus, oratio, si quis experiencing nō satis cognouit, studio quidem ac ueterum certe uolu-

uolutandis monumentis didicisse potuit et percepisse. Ta
metsi haud dum ipse sane uideo, ut opes iste in minimis
ponat, qui nulla de re, tatas ubiq; tragœdias, quam de Pō
tificum auaritia cōcit: quas quidē diuitias si tantopere
contemnendas esse iudicat, cur apud populares suos hoc
unum tandem penē semper habet in ore, et magna uoce
queritur iam fere exhaustam esse illorū sordibus et flagi
tiosissimis nundinis prouinciam uniuersam? Nolo equidē
cuiusquam inseruire auaritiæ:nec enim debeo,nec si uelle
possem: sed tamen neque quicquam ab inuitis exigi scio,
neque satis mirari possum, haud paulò plura hac de re
quam de cæteris sacerdotū flagitijs ab eo uerba fieri. Vo
bis id quid significet, quid'ue de eo aliij suspicetur, nescio.
Ego quidem, eius qui pecuniam despiciendam omnem iu
dicet, esse puto, nec illam cuiquam omnino inuidere, nec
eorū qui ea careāt, uicem magnopere dolere: optare autē,
ut locupletes fortunis suis recte utantur: pauperes ipsi, uti
nequo earū desiderio unquā teneātur. Atq; ut semel quod
sentio hac de re dicā, mihi quidē persuasum est, nihilo fere
turpius eum facere, qui cū paupertatē professus sit, tamen
alterius auaritiā ferre nō queat, eo qui turpi pecuniæ stu
dio et infinita lucri cupiditate palam ducatur. Sed sit sa
nè mirus diuitiarum contemptor Luterus, quas tamen ita
ille aspernatur, ut mendicitatis, nō dico onus, sed ne nomē
quidem ipsum tolerare poſſit. Scitis enim quæ de tollēdis
uel etiā ē rep. Christiana penitus exterminādis sacrī illis
quatuor mendicorū sodalitatibus, cū ſæpe cōcionatus fit,
tum uero nuper ad Fabianum Felicem conscripferit. Ut
etiam in eorū peras atq; manticas petulanter ille quidem,
sed plane etiam frigide et insulse luserit, nō puto etiam
nunc uos ignorare. Atqui bonorū omnium iudicio si quo

k 5 in homi

in hominum genere priscae religionis et sanctitatis decus adhuc spectatur, in eorum profecto, quorum ille sportulas ipsa paupertate odit peius, et ruminis potissimum et institutis hodie apparet, atq; adeo elucescit. Verum hac de re posterius: aliud enim in alio de istius moribus mihi dicendum semper occurrit. Sit igitur eo sane ingenio Luterus, ut omnes omnibus opes libenter cōcedat, ipse mendicitatē et quo et hilari animo unus toleret. At eundē esse hominē frugi, et quod isti iactant, rarū quoddā ueteris parsimoniae exēplum, mihi persuadere qui possum, quem ex uolu ptario Iouiniani instituto, nulla magis de re laborantem uideam, quam ut à maioribus nostris indicta statis anni diebus atq; tēporibus iciunia, quasi non ferenda sumptuariae alicuius legis decreta antiquentur: interdictus pariter quadrupedum et auium in mensis usus, omnibus omnino restituatur? Quòd si quis hoc illi cū popularibus suis cōmune esse uitium contendat, quos natura uentri obediētiores finxerit: illud quidē plane ipsius fuerit propriū hoc tempore, quòd sacerdos cum sit, et in Augustinianam ea lege sodalitatē cooptatus, ut reliquum etatis ab omni maliēbri congressu alienus degeret, cœlibem tamē agere uitā unusomniū apertissime hodie recuset. Certe enim in sacro Sanctam Niceni conciliū autoritatem, quam ipse sanctissimam esse persēpe testatus sit, uel ob hoc unum totus aliquando fertur, quòd illius decreto ijs qui ad rem diuinam faciendam consecrati essent, ducendæ uxoris ius omnino denegaretur. Sed hæc quoq; postea, ubi disputationis eius rationes putabimus, tractabuntur à nobis accuratius: quæ mihi tamen hic in transcurso leuiter attingenda existimauit, ut cū domestica eius uita nihilo uobis quam mihi esset explorator (nemo enim uestrū ipso familiariter est usus)

ex præ

ex præclaris eius sententijs atq; præceptis, qualis sit aut
certe esse studeat, homo antea obscurus, & hac sola repen-
tina insania nobilis magis quam adhuc plane notus, con-
iecturam facere possemus. Nam quod quidam etiam nunc
nulla eū obscœna corporis uoluptate capi insolentius hic
admirantur: doleo equidem istos de cupiditatis suæ turpi-
tudine tam aperte fateri. Nemo enim in alio quicquā ad-
modum admiratur, quod aut habeat ipse, aut etiam se con-
sequi posse, si paulum conniti uelit, nō diffidat. Sed admi-
rentur sane, si cum turpi intemperantia flagrantem illum
& in uenerem pronū esse sciant, tamen aliqua singularis
cōtincentiæ exempla ab eo edita proferre possint. Si autē
uel nihil eiusmodi habent, desinant nobis mendacijs suis
uelle imponere. Vell etiam ille infirma fortasse est ualetudi-
ne imbecillus, uel honoris potentiae ue cupiditate suæ in-
flammatus. nesciunt profecto nesciunt, neque quid animæ
uirtus à corporis uitio differat, neq; quantam etiā ex ina-
ni uirtutis laude uoluptatē homines ambitiosi percipient.
Etenim quemadmodum libidini auaritiæ q; deditum ani-
mum, nullam omnino dignitatis rationem habere constat:
sic uix unquam fieri potest, uel nunquam potius fit, ut cu-
ius mens tota in gloriæ cupiditate occupata sit, eius ad ob-
scœnas coporis uoluptates, aut ad infame pecuniæ studiū
sensus facile detrahatur. Neque uero hæc à me eo consilio
ita disputantur, ut aut quenquā laudū suarum fructu con-
iecturis spoliari cupiam, aut duas istas pusillas Martino
Lutero uirtutes inuideam. Non sum tam iniqui, non tam
ieiuni, non tam angusti animi, qui bonam certe ei mentem
atq; omnis omnium generum uirtutes optare nō desino:
sed eo scilicet hæc à nobis coarguuntur, ne insidiosas ali-
quas & magno multis malo exitioq; tandem omnibus fu-
turæ

turas, eius hominis laudes temere admittatis, in quo maximum cæterarum uirtutum splendorē desideretis. Sic enim ipsas inter se colligatas implicitas q; & quasi indissolubili quodam nexu euinctas esse uirtutes audio, ut unam earū qui habeat, omnes habeat: una qui careat, omnibus omnino careat. Vere an secus, non mihi magnopere hic disqui rendum arbitror: cū de eo dubitare posset nemo, quin ab illis absit omnis uitæ dignitas, omne uirtutis decus, qui neq; societatem hominū sancte tueatur, neq; ueritatem rerum perspicere, ac rationem expedire queat: neq; eorum quæ fiant, quæq; dicantur, ordinē & modum teneat, neq; gloriæ imperij ue cupiditate caste moderari posset. Quod cum dico, an non una, quæ in Martino Lutero requirantur uirtutum instrumenta, ea à me perstringi cognoscitis omnia? Quis enim in eo uel mediocrem prudentiam non desideret, qui dum sibi nomen & imperium molitur, stultitia sua tantū sibi, tantū uobis malorum cōtraxerit? quis nō temperantiā quoq; & modestiam, qui in omnibus etiā mortuis acerbissime exagitandis sit omnium mortaliū longe intēperatiſsimus? At iustitiam quæ omnes una uirtutes ipsa contineat, nemo in eo desiderarit. Credo equidē, quia ut ea iam nulla sit, dies ac noctes ille moliatur. Quid enim est aliud res iudicatas infirmare, iudicia tollere, leges anti quare, dānatos restituere, sacra prophanis cōmunicare: eos quibus resp. regendā se cōmisit, in ordinem cogere, omnia deniq; armis perturbare: nisi cuiq; ius suum nō modo nō tribuere, sed contra ius ac fas omne, id uiolēter au ferre, & unicuiq; crudeliter eripere? Talis ergo reliqua Mart. Luteri uita cū sit, nō ab re mihi suspicari uideor, ea quæ à cōductis istis et emptis eius laudatoribus prædicantur, dici nullo modo posse: quæ uero dici possint et debeat, ea omn

ea omnino nō dici & summa diligentia occultari. Nihil tu igitur eorū quae de singulari ipsius cōtinentia atq; opū despicientia narrātur acceperis? Nihil dūtaxat ut has una honestatis causa uirtutes ab eo cōplete existimem. Nam quin ambitiose delitiarū omnium & pecuniarū cupiditatem tegat, nihilq; uerbo publice probet, quod non cū laus & dignitate sit cōiunctum: de eo nō modo non dubito, sed ei etiam ad ea quae molitur, cū primis necessariū esse iudico. Quis enim Christianū ferat hominē præsertim nouandarū rerum autorem, qui uoluptate sua utilitateq; omnia metiatur? Seditiosus ante omnia oportet bellum diuitijs palam indicat, palam ab omni luxuria abhorreat, palam omne uoluptatū genus defugiat, incessu tardior, amictu obsoletior, corpore incultior, supercilio tristior, uocis sono, aut summissō lenior, aut cōtentō atrocior, aut inclinato grauior, aut inflexo miserabilior: mire enim hæc ad pullatū pertinet circulū: breuiter hanc unā ad uulgas nullo negotio capiendū tenēdumq; uiā seditiosus habeat, ut secū omnia reip. causa facere dictitet, tūplebis cupiditatibus plurimū indulgeat, tū uero se sanctissimorū uirorū institutis deditū esse studiose diligēterq; assimulet & finiat. Sic enim tum ipse fidē imperit & multitudini facilime fecerit, tum nisi prudentiores melioresq; primis eius contibus mature obſtiterint, ad extremū armis quoq; ad labe factandā remp. aperte aggredietur. His enim certe profectos initijs Arrianos, his Manichæos, his Donatianos in remp. impetu olim fecisse accepimus, & Luterū ad præsentē euertendū ciuitatis statū grassari uidemus. Sed cū de eo neminē ueſtrum dubitare iam posse confidam, quin qui Mart. Lutero sit moribus similimus, idē neq; uir bonus sit, neq; à Christianæ disciplinæ pudore nō alienissimus: illud nihil

nihilominus tamen uereor, ne uos nullo grauiore scclere
obstrictos esse arbitremini, quod eius cōtra remp. hominis
secuti sitis partes, qui cū animi altitudine maxima sit præ
ditus, tum uerò doctrina quadā singulari & eximia eru-
ditione ornatus esse uideatur. Ego uerò quænā in isto exi-
stat animi magnitudo, nō sanè dispicio: nisi fortasse fortē
uirū uobis appellare libeat eū, qui uasta & impotēti opi-
nionis suæ persuasione sublatus, se plus unū quām uniuers
sam rē p. posse cupiat, qui ius omne et fas extingat, omnes
aspernetur, nulli pareat, ne magistratibus quidē ipsis ullū
honorē habeat: deniq; qui nullū labore recusat, nullum pe-
riculū defugiat, quo uel perturbata, uel etiā oppressa rep.
nomē suū immortalitati cōmendet. Quod si ita est, & ho-
minē qui sic omnes omniaq; despiciat, quasi magnū et for-
tem uirū uobis pleno ore laudare permittitis, nihil planè
afferetis, quāobrem nō etiā insignes latrones & tyrānos
& prædones omneis, & quicunq; usquā unquā fuerūt fa-
ctiosos ciueis admiremini, quos elato cupidoq; ad maxi-
mas sibi cōparandas opes animo, nihil nō ausos fuisse, ma-
nifestius est q; ut id uobis hic à me demōstrari necesse sit.
Nos cōtrā excelsi atq; tranquilli ingenij uirū, cum demū
esse cēsemus, qui cū & libidinē pudore uicerit, & furorē
ratione depulerit, tum neq; imperia appetat, neq; gloriā
cōcupiscat: qui fortuna cōtentus sua quiete uiuat, & quē-
cunq; casum Deus tulerit, fortiter hunc atq; placatè suffe-
rat. Eos autē qui uel metu frangātur, uel à cupiditate uin-
cantur, uel imperium pati nō possint, uel etiā alia quauis
ægritudine perturbētur, longe ab illa uiri fortis cōstantia
dignitateq; abesse iudicamus. Quoru quidem esse in causa
& numero Mart. Luterū, quis hic iam neget primū qui
tam timidus fit, ut cū se & Christianæ pietatis defensionē
unum

unum suscepisse glorietur, & de summo inter gregales
suos mortis contemptu iactitet, nunquam tamen nisi aut acci-
pta publica fide, aut militari illa manu stipatus, sit ausus
ex ea, in qua se abdidit, munitissima latronum arce in pu-
blicum prodire, profecturus scilicet infrequentior, cetera in
aliena praesidia solus & quocunq; uocaretur, nisi & cau-
sae suae diffideret, & scelerum suorum conscientia territus de-
se uehementer timeret, & miseram illam anxiamq; & pre-
cariam uitam pluris quam omnes Christi rationes duce-
ret: pro quibus rationibus, quas tamen ille quantu in ipso
est conturbat, quoduis homini Christiano supplicium liben-
ter esse subeundum, cum ipse quoq; profiteatur: quidnam a-
liud suspicari possumus, nisi nobis esse negotium cum eo ho-
mine qui ad maledicendum & contumaciam ex tuto cuius fa-
ciendu sit loge audacissimus, ad periculum aliquod uel pro
Christi religione, cuius se causam agere mentitur, adeun-
dum multo timidiissimus? Deinde cum diuinis mandatis per-
saepe moneamur, cum ut eorum quorum sumus in potestate et
tenemur imperio, rationem in primis habeamus, tum sa-
cerorum antistitibus dicto audientes uti simus: quam bene
istum legibus parere credamus, qui ne imperio quidem ulli
præclaris illis suis decretis locum relinquat, nimurum impu-
nitatem sibi, ceterisq; coniuratis infinitam licentiam pol-
licitus, si qui tumultuantes ciuicis pro potestate coercent,
nulli omnino existant, hoc est, si aequabili iure utamur, uel
inter nos potius sine ullo ordinum discrimine, sine duce,
sine magistratu, sine lege, ferarum more tumultuemur?
O hominem cautum, & in constituenda repub. pruden-
tia singulari prædictum. Nam quam iniustum aduersus o-
mnes cupiditates sedatumq; gerat animum, cum ex con-
cionibus & scriptis, infandisq; ipsius conuictijs, tum etiam
hinc

hinc perspicere potestis, quod homo uel monstrum potius
 ex diuersissimis ac inter se maxime contrarijs uitij con-
 flatum, dubiumq; maleficij magnitudine timidius, an in-
 temperantia audacius, inani doctrinæ persuasione arro-
 gantius, an sordium suarum conscientia abiecius, natura
 leuius, an opinione peruvicacius, stultius denique apud pru-
 dentes, an astutius apud stultos, tam incredibili nominis
 sui nobilitandi cupiditate ardeat, ut quo aliquid apud im-
 peritam multitudinem esse uideatur, non dubitet constans
 & perpetuum generis humani iudicium, præ opinionis
 sui errore fastidiose contemnere, in sanctam eruditorum
 omnium uirorum conſpirationem petulanter inuadere,
 denique mortuos & uiuos præ ſe omnes incitiae uecor-
 diæq; acerbiſsimis uerbis condemnare. Nam ut dominan-
 di libidine tam multa turbet, mihi equidem persuadere in-
 terdum uix possum, præſertim cum uel tot firma reipub.
 præſidia, uel extreſam poſtrem hominis in summis uitæ
 ac fortunæ ſordibus conditionem atque causam conſide-
 ro. Rursus cum uel minaces eius conciones lego, uel inita
 de inferedo Italiæ bello cōſilia audio, uel numerosam illā
 quaſiq; prætoriā impiorum cohortē, atq; hominis ipsius
 amentiā furoremq; mihi propono, qui neq; in diſceptatio-
 nem descendere, neq; causam dicere, neq; publico ullo aut
 legitimo iure ſecum agi uelit, & omnem cæcæ mentis im-
 petum ad euertendum hunc reipub. statum, contulerit: fa-
 cile nonnunquam in eam opinionem adducor, ut id quoq;
 illi deliberatum à principio decretumq; fuſſe existimem.
 Labefactata enim republica quemnam alium potius re-
 rum potitum ſperare debuit, niſi eum qui priorem ci-
 uitatis statum euertifſet: ſeq; perditæ plebi aduersus opti-
 mates ducē audaciſsimū ſemper præbuſſet: Et quisquam
 hunc

hunc aut optandum nobis principem iudicat , aut bonum
& fortē uirū mihi adhuc appellat , qui iusti atq; excelsi
animi ne umbrā quidem unquā uiderit? qui nos primum
quasi uulpecula fallaciſima fraudibus & insidijs suis cir-
cunuenire tentarit: deinde etiam truculenta cristi draco-
nis ſpecie territos frangere conatus fit? qui paci atq; otio
inimicus ad agēdam, rapiendam remp. cum ſceleratiſmis
latronibus ſocietatem coierit? qui gentes feras armatas ad
delendam pulcherrimam, & eam certe unde omnis ad nos
humanitas, omnis religio profecta fit, orbis terræ partem
adducere cogitarit? qui hominis Christiani fortitudinē nō
parendi facilitate, non clementia, nō benevolentia, ſed con-
tumacia, odio, vindicta, malevolentia definiat ? At quām
hunc in reip. poſſeſſione tolerabilem futurum fuſſe pute-
mus, qui priuatus & inops tantam diſſimulare non potue-
rit insolentiam & immanitatem? O' nunquam ſatis intelle-
ctam uulgo Christianæ pietatis quietem , fortitudinis uim
atq; ſimplicitatem. Ego illum nec in ſumma imperij licen-
tia commodum fore ſperem, qui in hac tam tenui fortuna,
intolerabili iam fit superbia: uel nunc iustum & magna-
nimum eſſe putem, qui magistratum imperia ſuperbe de-
trecltet ? qui ius omne de rep. Christiana tollere conetur?
cui ſint ignavi & puſillanimes quicunq; iniuriam patien-
tia infringunt: longe autem ignauifimi, qui ita ipſi ſe uin-
cant, ut plane Christiana illa animi inductione, bene ue-
lint male uiuentibus, bene precentur male præſtantibus,
bene mereantur de male merentibus. O' hominem, ſi quidē
ita ſentit, amentem & miserum: ſceleratum autem & im-
pium, ſi cum nobis cum ſentiat, ea tamen crudeli ambitio-
ne incitatus concionetur, ſcribat, edat, paret, meditetur,
quæ uel cogitaffe non modo nō Christiani ſit hominis, ſed

efferati alicuius & immanis barbari omnem humanitatem
 proculcantis. Furē scilicet & adulterum, quorum iniuria
 ad unius aut ad alterius famā rem' ue perueniat, quasi sce=leratos execrabitur, aut etiam ultimo dignos suppicio
 iudicabimus: est uero qui cum se Christianum hominē nu=merari uelit, tamen simul non populorū, tot gentiū, tot na=tionum non modo corporibus, quod ipsum per se intolera=bile, uerū etiam animis pestem & interitum machinetur:
 qui funesta ista sua face tantum iam in Germania incen=dium excitarit: qui tanta audaciſſimo cuiq; proposita sedi=tionis materia, eandem intestino pernicioſoq; bello in ſe=ipſam īā armarit, quo autore tot īā uiri boni, tot homines
 Christiani, tot adeo sacerdotes ante ipsas Christi Opt. Max. aras indigniſſime trucidati ſunt: hunc nos hominem
 castum, hūc nos sanctū appellabimus: huius, ſi deo placet,
 pictam imaginem, quaſi ille cœlo consecratus iam ſit, ra=dato quoq; capite conſpicuam circungestabimus: Quæ
 (malū) amētia hæc eſt? Quā ego hanc dei iram eſſe dicā?
 uos hæc ſcitis, uos hæc uidetis, uos hæc cū fierent, ipſi ſæ=pe interfuiſtis, nec modo nulla adhuc ab eo inexpiabili re=ligione obſtrictos uos putatis: ſed hominem tam nefariū,
 tam dirum, quaſi ad modetiſſimæ & clementiſſimæ illius
 Christianæ naturæ laudem aspirarit, diuino cultu etiam
 nunc ueneramini? Quid? iſta ne ſanguinolenta rabie Pe=trum & Paulum cœlo dicatos fuiffe? iſtiuſ ne modi ferita=te Ioannē & Iacobū eōdē uocatos eſſe? tā ne cruenta ui=toriæ palma innumerabileis illas tot sanctiſſimorum, tot
 fortiſſimorum diuinæ ciuitatis militū legiones aditum ſi=bi ad ſuperos comparaffe credemus? Age facite multorum
 in rep. principū intolerabiles eſſe mores: facite multorum
 etiam ciuium haudquaquā diſimulanda eſſe flagitia: num=corum

eorum tamē odio, illa quam nobis Christus, secuit, munit,
patefecit, uia deserenda sic fuit? imò adeo ut uera sint quæ
dicitis, num illorum tamē imitandi fuere mores, quorum à
uobis tolerari amplius posse uitia negabitis? Nam quòd
illis crudelitatem criminis interdū datis, ego uero hac nul-
los plane eorū in quēquam uestrum adhuc usos uideo: sed
si tamen in aliquem more maiorū seuerius animaduersum
est, ijs supplicijs quæ à legibus proficiscantur in eū, scio,
et ob priuatū aliquod publicum'ue crimen à prophanis
hominibus esse iudicatū. At uero Luteriani uestri, quo' nā
iure, qua lege, quo tandem Christianæ pietatis exēplo, tot
sacerdotes, ea sola de causa, quòd Luterianā sectam nō sa-
tis probare uideretur, inter ipsas Christi aras suis ipsi ma-
nibus crudelissime iugularunt, dicā, an mactauerunt? Quo
iure inquā tot Christi sacerdotes, quos ille et sacrosan-
ctos esse uoluit, et delicias suas appellauit, isti indicta
causa suis ipsi manibus iugularūt, et immanissime macta-
uerunt? O cœlū, O terra. sed nō faciā, ut aut acerbiſimū
eorū interitū hic deplorem, quos iā immortaleis et beatissi-
mos esse iudico: aut ferinā eorū immanitatē hic detester,
quos de potestate et mēte sua Luteri cōcionibus exisse, et
in rēp. immissoſe, mihi facile persuadeo. Tantū uos ad-
monitos uelim, nc eū quasi diuinū et fortē uirū uobis cō-
mēdatū posthac admiremuni, qui sanguinarios istiusmodi,
atq; ex ultima repetitos barbaria sacrificandi ritus insti-
tuat, et iā multis seculis salutari persuasionis nostrae ex-
ortu funditus sublatos, in Germaniā ipsam Galliāq; et uni
uersum terræ orbē, quasi postliminij iure quodā, reuocare
conetur. Quāquā si uera sunt, quæ audio, non sacerdotes
tū et innocētes, sed ex prophano potissimū uulgo fontes.
quidā homines immolabātur, ut à Mart. Lutero ueterā illā

l z Herae

ueræ pietatis expertum immanitatem gentium, nō æquatam modo, uerū etiā longe superatā esse uideamus. Quod si hæc ille in sectorum suorū furorem atq; crudelitatem transfundat, uidete, quæso, uel quænam sit eius hominis doctrinæ uis, qui quos à se ab omni superstitione ad ueræ pietatis cultum traductos esse glorietur, eosdem tamen ea re impios esse & parricidas negare non possit: uel in quoniam hominū genere illic regnet, quod idem tam efferatum sit & barbarum, ut impiam & immanem suam crudelitatem, quam ne humana quidem æquitate quisquā tueri possit, sanctissimæ religionis loco ponat atq; cōstituat. Quod si (ut aiunt) ex discipulorum moribus atq; eruditione, de doctoris ipsius uita & literis iudiciū facere, aut certe conjecturam ducere possumus: licet sane ex præclaris istorum actionibus & faces de Mart. Luteri natura atq; ingenio iudicemus, uel omnino qualis sit, coniectura assequamur. Atqui taleis nunquam neq; Christi ipsius, neq; legatorum eius, neq; facile Benedicti, neq; Augustini, neq; Hieronymi, neque Francisci, neq; Dominici, neq; Bernadi familiares fuisse legimus. Sed nō cogatur sane suorū culpā præstare Luterus, tametsi istos nunquā tantum facinus admissuros fuisse constet, nisi tumultuosis illis concionibus in Reip. defensores ab eo concitati extitissent. Sit etiam per me quidem omni alia uirtute ornatus, sit cōtinens, sit abstinens: non repugno, modo ne quam in eo nonnulli ad cœlum laudibus effrūt, Christiani animi fortitudinē, illi inesse uobis persuadere sinatis. Quam quidem certū est, non in regerendis conuitijs, non in referēda iniuria, non in elato contumacis animi spiritu, nō in mortis omnibus uitanda modis consilio consistere: sed in despicientia sui, sed in ea potissimum casti animi probitate, quæ uoluntaria mētis demissione

demissione, atq; ingenuo quodā ac liberali pudore totam
se diuinę potestati commendatam tradat, & pro Christi
persuasione deuotam hostium minis atq; terroribus intre-
pidam obijciat. Hac itur ad æternā gloriam uia: Hac pro-
ceres iere Christiani: Hac heroës nostri omnes in cœlum
peruenere: quorum etiam iam uita defunctorum gratia, et
mortuos reuixisse, & cæcos oculorum usum recepissemus, &
uarijs ex morbis laborantes, furijsq; etiam exagitatos
mortales multos potestati ualitudiniq; suæ restitutos esse
exploratum habemus. Mart. autem Lutero num tale quic-
quam adhuc factum uidistis ipſi, aut ab alio etiam accepi-
stis? Num exanimes ab eo ad uitam revocatos? Num mu-
torum linguas in sermonem resolutas? Num surdoruū au-
res ad audiendi uim patefactas? Num claudis liberam gra-
diendi datam facultatem? Num ijs qui omnibus membris ca-
pti essent, totius corporis firmitatem? Num fanaticis suam
mentem? Num deniq; aliquod coelestis uirtutis indicium
uobis edidit? Atqui aliquod saltem unum diuini ab eo nu-
minis signum allatum esse oportuit, qui se contra publici
concilij autoritatem, deo autore artes nouas moliri, atque
tanta inter Christianos ipsos discordiarum semina iacere
diceret: præsertim cum nec ullam nobis legationis suæ fi-
dem faceret, & ea quæ in rep. sequimur, à maioribus no-
stris diuinitus instituta esse nobis religiosissime persuasum
non nesciret. Verum frustra huiusmodi quicquā ab eo ex-
quiras, qui sit à uoluntaria illa humilitate deuotioneq; a=
lienissimus, & omnium qui unquam fuerunt seditionorum
hominum nō modo timidiſſimus, sed etiam longe arrogan-
tissimus. At quid illud est tandem, quod Luciferum de cœlo
deiecit: superbia. Quid Mariam in cœlum extulit: animi
demiſſio. Quid Adamū & Euā ex illa sacrorū hortorum

amoenitate exturbauit? quod dicto audientes non fuissent.
 Quid Heliā et Mosen eō unde illi deturbati essent postea
 euexit? quod diuinis mandatis semper paruisse. Quid
 Christū ipsum summi regis honore, summi iudicis potesta-
 te, summi dei nomine adornauit? nēpe illa animi demissio,
 quae quidem omnium uirtutum sit mater & altrix, ut o-
 mnium contrā scelerū parens & nutrix superbia. Videte
 igitur quae nam uobis Mart. Luterus casti & humilis ani-
 mi exempla adhuc dederit, qui cum se hodie unum Christi
 uirtutes recte imitari glorietur, eo tamen sit ore atq; ani-
 mo, ut cum omnibus ijs qui usquā erga principes cōtuma-
 cia, erga pares fastidio, erga humiliores contemptu insi-
 gnes unquā sint habiti, de arrogatiæ principatu summa
 contentione certare uideatur. Sed cum satis multa de homi-
 nis moribus, nunc de ingenio & doctrina eius pauca sunt
 dicenda: in quibus quidem ita ille se iactat, ut uulgo penè
 persuaserit unum se omnium uim religionis atq; Christiana-
 nae doctrinæ scientiā tenere, qui de rebus tam obscuris &
 abstrusis tam subtiliter copioseq; differat. Perinde quasi
 cæteros qui ad perturbandam rem p. accesserūt, neq; à na-
 tura, neq; ab literarum nostrarum cognitione ullo instru-
 ctos modo fuisse existimemus: aut homini Christiano faci-
 le non sit, de religione loqui, quod ab omnibus seditionis
 factitatum uidemus: longe uero difficilimum è religione ui-
 uere, & pie sancte q; scribere: quorum alterū à Lutero nō
 fieri ignorare iam nō potestis, alterū ab eo minime adhuc
 factū esse, ut cognoscatis, mox operā dabimus. Sane enim
 tempus quoddā fuit, cū ego qui nunc ab eius consilijs tan-
 topere abhorrec uideor, nō secus ac uos de ipsius religio-
 ne atq; constantia iudicarem: quippe cuius levitatem non
 prius coniectura quam ipsius certissimis monumentis te-
 statam

Statim cognoui, impietatem uero non ante opinione quam
clarissimis librorum eius uestigijs expressam perspexi. Ita=
que de eo (que ex primis ipsius scriptis, quanquam iam tum
eorum genus non nemo quasi sordidum, uulgare, horridum
improbabat: ego tamen neque in dū esse hominem, neque
ineptum, neque contemnendum existimauit: ex alteris iam
male sanum et audace rabulam putaui: ex postremis etiam
impurum et sceleratum cognoui) ita nunc quidem sentio,
ut uehemeti quidem ingenio illum et acri et magno esse
iudicem, sed cuius commendationem omnem importuna
animi pravitate cuerterit: doctrina uero eiusmodi, quae
neque sane liberalis sit, neque ex ipsis diuinorum librorum
hausta fontibus, neque adeo ipsius etiam parta ingenio, sed
ea plane quam partim ex Hussianorum, partim ex Val= den= sium ac ceterorum item factiosorum iam olim damna= tis atque eò abditis et reconditis commentarijs corrogasse
uideatur. Neque enim certe tertio quoque fere uersu secum
ipse pugnaret, et extra monstra atque portenta, homine
Christiano dignum aliquid saepius afferret, si rationem
cum sacris Christianæ Hebraicæque historiæ monumentis
sibi religiose habendam putasset. A quibus quidem ille,
quasi omnium sermone decantatis, et uulgaribus rebus ab= horres, optima sui otij opera in lectitādis quibusdam in= geniosis omnino illis, sed plane perditis ac nullius iudicij
cōsilijs ue autoribus, ijsque haud ita uulgo notis peruerse ab
uti maluit, spe non dubia ductus uidelicet, se in cœlo impe= ritæ multitudinis opinione statim futurū: si cum barbara il= la declamādi licentia, ipsos religionis Christianæ princi= pes maledictis petulantissime nominatimque figeret, tum ue= ro quæ apud præclaros illos eruditionis suæ magistros in
tenebris didicisset, ea in lucem q̄mbitiose et magno uer= borum

borum strepitu omnia quasi mysteria quædam proferret
atq; enuntiaret. Quæ quidem spes, ut eum omnino falso
non habuerit: Dedit enim ei locum non ipsius quidē singu
laris ulla uirtus aut eruditio, quam sane nullam adhuc esse
uideo, sed flagitiosa multorum ubiq; sacerdotū uita atq;
inscitia, quam quidem uel accusare uel uincere nullius pla
ne sit negocij. Sed ut ea spes eum non omnino sefellerit, il
lud quidem certe non uidit, sic usu esse comparatū, ut qui
indoctis eruditi, malis boni, stultis sapiētes uideri uolunt,
ijdem indociti eruditis, stulti sapientibus, mali bonis esse ui
deantur. Verum de Luteri literis, atq; ipsius in sacris etiā
rebus intelligentia, et si ex ijs quæ ad perscriptas & ab
ipsomet editas agnitasq; disputationes à nobis deinceps
afferentur, uobis plenissime liquere poterit: nihil me tamē
ab re facturū hodie puto, si qualis eius doctrina existima
ri debeat, tum ex absurdis illius præceptis, tum ex senten
tiarum ipsius inter se discordia uobis hic summatim indi
caro. Nihil enim astute agere, nihil accusatorie dicere cō
stitui: tantum pauca quædā, ut adhuc feci, eaq; plane atq;
Latine uobis agnoscenda proponam, quæ cum cunctis fa
cile sunt obvia, tum uero eam Martini Luteri indolem si
gnificant, ut quantum eius autoritati tribuendum iam
sit, per se ipsa cuiuis planum statim facere possint. Atque
ut ea hic mittam omnia, quæ aliqua uel rerum obscuri
tate excusari, uel ista distinctionum calliditate elabi pos
se uideantur: quām in eo grauiter & præclare illum si
bi constare arbitremini: qui cum se in primis illis disputa
tionibus hominem esse, uere modeste q; esset fassus, hoc est,
eū qui ignoratione rerū & labi et decipi persæpe posset,
tamen arrogantiissime postea uaniissimeq; idētidem scrip
rit, neque falli sc neq; omnino errare iam posse: impiam,
credo

credo, Aetiani secutus sententiam, qui hominem Christianum ulla in re posse falli negasset. Idem initio scriptorum suorum saepe testatus, siquid noui de Rep. consilij caperet afferret' ue, de eo se in ipsius Reip. potestate futurum, tantumq; sibi quantum illa suasisset, esse persuasurum: tamen dicta tandem multa Reip. & conciliorum eius autoritati salute se nihil ipsius iudicium atq; sententiā morari audacissime pronunciauit, quippe qui à se diuinitus illa omnia ex cogitata esse exploratū sibi esse diceret. Hac enim etiā flagrat ambitiōe homo uētōsiſsimus, ut quae ab ipso quasi dictata quedam, seditionorū reddūtur, à magistris ne unquam aut doctore ullo didicisse uideatur. Illa uero quam inter se bene cohærent? Nemine naturæ impulsu peccare, utpote quae sit optima: sed omneis nos sponte nostra studioq; delinquere. Rursus pro Floriani insania, omnē humanae mētis culpam, unius esse naturæ uitio attribuendā, quae perpetuo furore exagitata, nos secū præcipites agearet atq; raptaret. Iam illud, neminem esse unum neq; tam moribus sanctum, neq; deo tam acceptū, qui non mortem incredibiliter horreat: an nō cum illo acriter pugnat, multos hodie posse reperiri, quos diuina charitas ita inflāmet, ut ea quasi armati, nullo plane mortis terrore teneantur? Eiusdem est inconstantiæ, uelle à nobis peccatorū nostrorum cōscientiam sacerdotibus omnem aperiri, & iterum nolle omnia, ne exitialia quidē scelera proferri atq; indicari. Quid quod Patrum cæteris duodecim uiris honoris gradu modo superiorem facit, modo parem, modo inferiorem? Quid quod eundem ad illustria illa Christi rogata, tum de sua, tum de omnium collegarum sententia respondentem inducit? Quid quod eidem in nobili illa prouinciarū sortitione hic Iudeam tantū, illic solam Ita-

l s liam

liam obtigisse affirmat? Quid quod summi Pontificatus principatum alibi delendum esse argumentatur, alibi reli giosum & nefas id esse contendit? Nam de restituēdā nobis innocentiae ratione, quām turpiter secū ipse totis uolu minibus digladietur, qui aliās nullū pontifica liberalitate animi crimen extingui posse iudicet, aliās nō eadē indul gentia noxae eximi & scelere liberari posse omni defen dat, suo cōmodius à nobis ostendetur loco. Atq; ne ijs tam tum quae ad superos maxime pertineāt, leuitate illum suā propalam efferre cōtentū fuisse existimetis: pergit porro eorū quoq; quae apud inferos gerantur, cōscius, neq; sane īternuncius indisertus. Sed quid ait tandem? ijsdē omnino tum nondū expiatos bonorū manes, tum impiorū laruas illic exerceri pœnis: nec tamē ijsdē omnino, quod hæ quibus nō modo nulla spes ostēdatur, sed ea etiā omnis præ cisa sit, desperatione quoq; ipsa excrucientur: illi explorata salutis rationē habeāt suæ, atq; ea leuiore pœna defungātur. Non hoc prorsus adhuc incōstantissime, si codē in loco addubitans ille nec discretis operibus res tam diuersas docēs attulisset. Illa uerò quām ipsum ubiq; sui similimū esse declarat? Manes cū nō dubia salutis spe teneantur, tamē æternis addici posse supplicijs. Eosdē dū ex purgātur semper sperare, imò uerò desperare. Iam sperare quidē illos, sed spei suæ esse ignaros, desperationis autē certos. Nā quod terreri eos uult et torqueri cū æternorū suppliciorū metu, tū uerò diuini uultus cōtuitu, quē quasi mirifica quadā iracūdia inflāmatū, & horribilē, & intolerabilē spectare cogātur, nec sustinere queant: recte fortasse, sed qd' ipse tamē ad extrēmū funditus euertat, q; alio loco manes, neque sempiternæ pœnæ formidine ita affici & affligi ostendere conetur, sed eos partim ex ea quam subitus

subitus diuinæ maiestatis conspectus nobis excitaret admiratione consternari atq; cōfundi: partim quòd incredibili ipsius amore incensi, incredibiliter semper timeāt, ne deū immortalem nō satis ipsi uenerentur et colant, quem omni honore, laude, gloria dignissimum esse iudicēt atq; perspiciant. Quid ego ut ceteris in rebus totus turpissime erret, nec sibi ipsi unquā conueniat, hic cōmemorē? Istius profecto modi sese collidentibus sententijs tum conciones plurimæ, tum postrema eius opera ita æstuāt omnia, ut si uel quemadmodū instituerā, nudis uerbis turbidos eorum quasifluctus persequi uelim, multis mīhi sit et horis opus, et Luteriano plane stomacho, quo tot profundissimæ leuitatis insaniæq; euripos sine grauiore ulla nausea possem transmittere. Qua quidem leuitate, eam ille causam uestrā certe cōstituit, ut etiā sine ullo alio uitio, sine aduersario, languentibus bonis omnibus ipsa per se statim ruitura sit. Quid enim ad eā subuertēdā oppugnatione ulla opus est, quæ et ipsa suis sc̄e telis labefactet apertissime, et autore suū habeat hostem unū omniū infestissimū? Neq; enim iā disputationis modo gratia, quod à doctissimis uiris factitum cognouimus, in utranq; iste partē de re dubitanter uerecundeq; differit, sed utrobiq; fidenter, nec insolenter minus et barbare deū semper obtestans adiurat, aut nihil omnino cum sentire, qui contrā sentiat: aut etiam se nihil recusare, quin testificandæ cōprobandæq; eius quācunq; ullo tempore tueatur sententiæ causa, in ardenter rogum nudus statim insiliat, mortem illic et incēdij pœnas libenter perpessurus, ni uera sit quācunq; nobis contra sancta maiorum nostrorū instituta persuadere conetur. quod cū facit, an non illum aut plane furere, aut conceptis uerbis peierare suspicari licet? Verum ut ridiculam et impudentem

tem & immemorem hominis stultitiam facile perpeti atq;
 perferre possumus, & illi quod iam pridem sibi sumpfit,
 permittamus, ut effluente mente huc illuc cursitans, quicquid
 alicubi uerum esse posuerit, idem alibi suo iure falso esse
 ponat & contestetur (Nihil enim fere ne contra rempub.
 quidē adhuc attulit, quod nō suo ipsius more in dubium uo
 carit, & idem ipse alio loco infirmarit. Sunt enim hæ se= =
 ditiosorum fraudes, hæc artificia: quāquā in Mart. Lutero
 nihilo insaniæ & imperitiæ minus & flagitiosæ obliuio= =
 nis, quām uel malitiæ uel fallaciæ mihi nūc uideor perspi= =
 cere) Sed ut ista, quēadmodū dicere cœperā, à nobis diſsi= =
 mulētur omnia: etiam ne portēta illa & qui boni faciemus:
 Penes Iesum Christū, quem nos nō modo ciuitatis nostræ
 autorem, et reip. præsidem agnoscimus, uerū etiam Deum
 Opti. Maxi. esse prædicamus, nunquam neq; diuini, neq;
 humani imperij ius aut potestate ullam fuisse? Veritus est
 scilicet uir religiosissimus, ne si Carpocratianorum &
 Abionitarum impietatem ipse non comprobasset, summi
 pontificatus autoritas funditus deleri nō posset. Sed in hoc
 magnum quiddā spectauit: maximi enim sacerdotij princi= =
 patum, quod Hussiani nunquā potuissent, à se facile euer= =
 sum iri hac recepta sententia sperauit. In eo autem quod
 à Christo duriores nobis impositas esse leges quām ut ijs
 quisquam parcere queat, Mahumete uidelicet autore con= =
 questus est, quidnam illum tandem intuitum putemus? Sce= =
 lerum suorum impunitatem? an Christianæ disciplinæ euer= =
 sionem? an uerò simul utrumq;? Ego enim certe quidnam
 potissimum hic querat, dicere non habeo, haud sane magis,
 quām cur arbitrio nostro nihil neq; liberum neq; integrū
 à deo relictū esse defendat. Nisi hoc fortasse agit, ut quæ= =
 cunq; uel contra ipsam rempub. impie moliatur, ea omnia
 diuinæ

diuinæ ascribens prouidentiæ à se reijciat, & quasi fatali
cuidam necessitati assignet. Nam quòd omnes ingenuas
artes, & cuiuscunq; generis uirtutes execratur: quas ta-
men neq; apud nos, quatuor illi constituendæ doctrinæ
Christianæ uiri Hieronymus, Augustinus, Ambrosius,
Gregorius, neque apud Græcos Basilius, Chrysostomus,
Origenes, Athanasius, in postremishabuere: sed quòd hæc
animi ornamenta atq; lumina mera ipsa scelera & cæcas
quasdā humani ingenij pesteis appellat, nihil omnino ab
re sua facit alienum, homo sibi nimurum cōsciūs, quām sit
ipse nulla prorsus uel illustri optimarū artiū cognitione
instructus, uel singulari præstantissimarū laudum dignita-
te ornatus. Quòd autem cū Arrianis negat, iusta mortuis
ulla persolui à nobis oportere, & quæcunq; de parētandi
sanctitate Pop. Christianus iam inde ab initio religionis
recepit, ipse planè repudiāt: quis hoc illi nō facile conce-
dat & ignoscat homini qui nunquam litarit ipse, atq; id=
circo tralatitia illa & peruagatiſima temere arrepta sine
fine impudētius nescias an imperitius iactitet? cum preces
noſtras, & omne sacrificiorū genus, Deo esse inuīſum &
ingratum: tum uero in nobis nihil inesse neq; cōſilij, neq;
mētis, neq; rationis, neq; opis: aut si quid tale omnino sit,
id nobis in exitium & apertam perniciem noſtrā tributū
esse & à deo datū. Quòd quidē etiam pertinet illud, quod
de Dei Opti. Maxi. in genus humanum tum inuidia, tum
odio firmissime cōprobabat. Etenim cum insanis eius sen-
tentij, uel furori potius, opponeretur, Anacleti, Leonis,
Thomæ, Bonauenturæ, ac item cæterorum, quorum con-
secratæ iam eſſent pridem & literæ & uirtutes, amplissi-
morum uirorum autoritas, nec illæ hæſitationis ſuæ exi-
tum alium, credo reperiret: non dubitanter ausus eſt affir-
mare

mare homo omnium mortalium (hic iam non inuenio dignum eius importuna audacia & imperitia nomen) non exhorruit , inquam , homo sacrilegus & parricida nefarius affirmare: quid dicam? horreo enim ipse totus , cū quid ex eius sententia dicturus sum cogito: nihil dubitauit igitur affirmare diuina plerunq; fieri uoluntate , ut reluctantes & inuiti ipsi peccemus , idq; adeo eorum potissimum accidere ministerio , quos propter summā uitae integritatem atq; innocentiam Deus Opt. Max. charissimos habet. Rogatis quo id tandem fieri modo pronunciet ? dicitur id quoq; , quādo huc usq; progressi sumus. Ait uir diuinorum consiliorum particeps , ac idem eorum interpres unus & enarrator religiosissimus , solere à deo immortali , cum homines sua spōte nō satis insanire uideat , eos præcipue de sua mente deturbari , aut illorum certe animis te nebras statim offundi , quorum mores atq; studia mortali bus ad bene beatęq; uiuendum exemplo esse uoluisset. Ex eo fieri ut quicunq; talium uirorum sequantur autoritatē , hoc est , ut optimus quisq; imprudentes in fraudem , in sce lus & impietatem turpiter à Deo Opt. Max. & illo genesis humani conseruatore inducti , impulsi , coniecti , tum deo sentiant & mereantur pessime , cū se illiusnumini atq; uolūtati morem putant gerere sanctissime atq; religiosissime. Non confutabo hic equidem barbarā hominis impuri impietatē , quae cū ipsa per se sua incōstantia satis sit la befactata , tum uero tam est absurdā , & ab omni cōmuni sensu aliena , ut neminem hic quātumuis rudem & durum esse putem , quin si modo Christianus sit , ea cōmemorata totus statim exhoruerit , uicemq; suam uehementer do luerit , quod ad hæc animum antea non aduerterit , & aliqua humanæ mentis perturbatione oppressus , portentorū huiusmo

huiusmodi atq; monstrorum opinionum suarū constan-
tiſſimo atq; sanctiſſimo reip. iudicio anteposuerit. Ac pro-
fecto cum hæc Mart. Luterus de summa illa diuinæ natu-
ræ bonitate tam impie pronunciet, ut iam nō minus uerbo
quam ante a re, omnē funditus religionē tollat: cū homines
deo acceptiſſimos, uel Deū potius ipsum Opt. Max. ma-
lorum geniorū furiarūq; ipsarū partibus fungi cōfirmet:
nō sane uideo, neq; quē admodū ipſe ſe omnis erroris ex-
pertem eſſe, de quo tamē uno omniū apud uos gloriatur,
cōpertū habere poſſit, qui uiros plane diuinos à deo ipſo
densa quadā & tetra impietatis caligine occēcari dicet:
neq; quomodo cōtra religionem ſentire non dicendus fit,
& facere, qui deum immortale ex damnata Manichæi ſen-
tentia malorum autorem conſtituat atq; defendat. Neq;
uerò interea homo cæteris in rebus memoria plane nulla
& ſtultus, nec tam cæcus eſt, nec perdiſti illius consilijs ſui
tam immemor, quin quod plurimis mortalibus & gratum
& iucundum fore ſperet, id his monſtris callide, neq; ta-
men non portentose ſemper admifceat. Cuius quidem ge-
neris ſunt illa, ut interdictum certis anni diebus, ouorum,
quadrupedū, auium, lactis, cæterorumq; eōdem pertinen-
tium in mensis uſum omni ſublata religione repetamus, ne
ſolēnia ieunia obſeruemus, ne nos ipſi ſacerdotibus Chri-
ſtiano ritu deſeramus, qua tamen ex re, cum ſe in magna
apud omnes ſacerdotum ordines offenſa futurum uideret,
alia ſtatim ratione ab ijs qui incontinentiores eſſent, gra-
tiam inire iuſtituit. Multis enim ante omnia uerbis exe-
cratus eorum ſententiam, qui ſacerdotibus cœlibatum
indixiſſent, nō curionibus modo & ſacrificulis omnibus,
ſed iſpis etiam ſacrorum antiſtitibus, nescio an multarum
etiam nuptiarum, ducentæ certe uxorū ius atque po-
ſtatem

statem fecit. Verum nihil facile apud impios popularius ea disputatione apparuit, qua ille improbis omnibus probare conatus est, neminem unum à Iesu Christo Christianæ ciuitati esse præfectum, sed pari omnes in administra stranda republica iure atque potestate Christianos esse uoluisse. Quod quid aliud tandem est, nisi seditiosissimo uel etiam stultiissimo cuique summam perturbandæ, atque adeo impunc euertendæ reipublicæ facultatem dare? Sed huiusmodi sermo rei ciatur in eum locum à nobis totus, ubi cum Luteri sententia quasi pedem collaturi sumus. Nunc enim qualis eius esset doctrina, uobis breuiter significandum à me fuit. Atque ita certe, ut mea quidem fert opinio, tota se res habet: à primis illis disputationibus, in quibus nescio quām recte (nam illas etiam uehementer à quibusdam improbari iam audio) ingeniose certe & argute nonnulla mihi quidem tractare est uisus, nunquam aliu in alio sceleratus miscere destitit. Nam primum uel summa illa Pont. Maxi. denunciatione incitatus, uel operarum suarū audacia & manu irritatus atq; elatus, ruere statim cœpit, & ita insanire, ut optimū quenq; totis uoluminibus cōscinderet, summū ipsum Pō. Græco uerbo Christi hostem appellaret: Cōstantiensem illum cōuentum, impiorum cōciliabulum diceret: Sanctam heroum nostrorū memoriam contumeliosissime exagitaret: nō priuatis parceret, nō magistratibus, nō principibus: nullius deniq; ordinis: ne ipsius quidē Reip. omnem omnino rationē duceret: id ipsum interim ubiq; confirmans, omnes nos desipere, omnes delirare, omnes demētes esse: unum se in rectam religionis uiam ingressum, & recta solū sapere, et errare iam nullo modo posse. Deinde quæcunq; à seditiosissimo quoque iam olim turbulente excogitata essent, ea omnia undiq;

undiq; colligere, collecta impudenter explicare, explicata
quasi diuinitus probata perdite dedere atque tueri insti-
tuit. Existimans, opinor, si singulos insigne aliquod et au-
dax facinus nobilitare potuisset, se quidem fore omniū post
hominiū memoriam factiosorum longe notissimum, qui o-
mnes unus omnium seditionum causas tam longo intervallo
repetitas audacissime retulisset. Quæ quidem omnia eo
parum diligenter adhuc à nobis cōsiderata esse arbitror,
quod ille animos uestros rerum præsentiuū odio iam per se
nonnihil commotos, feruidis suis etiam cōcionibus ita in-
cenderit & inflammari, ut non quid ipse de deo, de reli-
gione, de rep. de maiorum nostroruū institutis sentiret, sed
quām uehementer, quām nōnunquam etiā uere iusteq; in
mores, in uitia, in tempora peroraret, semper animaduerte-
ritis. Hoc enim habet asperum illud & in criminando uo-
lucre atq; incitatū & uibrans orationis genus, ut si in cau-
sam præsertim principum, quoruū nescio quomodo semper
grauamur imperia, aut etiā minime popularē & inuidio-
sam apud homines minime malos exerceatur, audientium
animos facilime rapiat, plurimumq; illi & qui dicat, ad-
mirationis conciliat, & quem contra dicatur, odij maleuo-
lentiæq; statim concitet. Quod ipsum uobis hac in re usu
uenisse profecto iam uidetis. Est enim ut probe scitis, cum
ipse Martinus Luterus homo mire criminosis, quiq; in di-
cendo uerba celeriter multa uoluēs atq; profundēs stoma-
macho sēpe iracundiaq; quasi iusta quadā indignatione
efferuescat, tum uero ea hominū ubiq; fere improbitas at-
que sacerdotū etiam multoruū indignitas, ut qui se in eoruū
acriter insectandis uitijs exerceat, is nō modo flagitia sua
alienis criminibus facile tegat atque occultet, sed quadam
etiam sanctitatis ac religionis opinione uehementer pro-

m batus,

batus, eo potissimum nomine uulgo commendetur. Itaque dum Mart. Luterum nec sine ingenio, nec sine causa, nec sine cupiditate, tum uero singulari quadam audacia, et uultu in primis atque amictu ad popularē concionem compostum, cum ciuitatis nostrae moribus solute et acerbe rixantem, dum quorundam in rep. principum turpitudinem et infamiam publico odio subiicientem, dum atrocissimis uerbis et contenta uocce, de ariolis, de maleficiis nescio quibus mulierculis ostenta facientem, attoniti miramini, dum uel in eum mirificas quasdam pugnas, et tragicas suas comedmorantem strages stupefacti intuemini, uel ad certos eius commentarios in eandem fere rationem feruentissime conscriptos, quasi ad saxa quædam adhaerescitis: denique dum graui et cæco eorum qui reip. presunt, odio ducti, in Lutheri impietatem editos à doctissimis optimisque uiris libros negligitis, aut si quando in manus inciderunt uestras, lenite ac fastidiose, nec ullo eos ordine legitis: sic eius quem unum adhuc diligenter et attentis animis exaudistis, tum orationis impetu et nouitate, tum scriptorum assiduitate quotidiana capti, uincti, abducti fuistis, ut de ipso existimatissime, qui de deo ac repub. Christiana sentiret peccatum, et eos auersaremini quasi scelestos, quos ne ille quidem adhuc negarit esse Christianos. Atqui Christianum esse hominem, hoc est tu de deo, tum de religione nostra bene existimare, satius est etiam, si non ab omnibus humanis uitij plane sis liber, quam si cum libidinis atque omnis avaritiae sis expers, tam de deo sentias impie, de persuasione Christiana loquare impure, de rep. ipsa consilia in eas sceleratissime. Verum antequam ad conuellendam omnem Mart. Lutheri disputationis rationem aggrediamur, uos etiam atque etiam admonitos uelim ne hoc difficultius excolleretis uos nobis sanatosque.

dosq; præbeatis, quod à uobis, qui quidē hic estis, omnino pauci, alios itē complures in sentētiam suam perduxisse ille uideatur. Neq; enim decet, neq; certe cōuenit uos, quos ego minime omniū agrestes esse scio, minimeq; pertinaces fore iudicauit, leuiſſime atque perditissime prouinciæ illius plebis multitudine temere cōmoueri: quæ cū omniū rerum et sacrarū in primis sit imperitiſſima, tū uero nihil habeat in optatis prius quām ut præsens reip. status quauis semper ratione cōmutetur. Hi enim sunt iā olim descripti et à sapientiſſimo quoque notati multitudinis mores: Laudare præterita, odiſſe præsentia: cupere futura: idq; eos ipsum optare, etiam ut nulla melioris ſp̄es status eis ostendatur. Quid illam igitur nō facturam uel ausuram certe censendum est, si quis infinitæ licetiæ ac summae impunitatis ſp̄e, hancq; ipsam quaſi deo autore uulgo affrat: Nam quod aliquot etiā non omnino peſsimos neq; postremæ sortis homines cū Lutero facere, nulloq; negocio ab eo persuasos in istam sentētiam protinus iſſe admiramini: ego uero aliquando sum miratus tantū in Christianorū hominū nōnullis inesse leuitatis, ut cū tanta de re etiā atq; etiā deliberandum esset, statim tamē et temere pluris furiosi iſtius nebulous somnia et optata, quām perpetuum reip. cōfensum atq; iudiciū faciundū existimaret. Verū postea quām circūſpectis rebus oībus atq; etiā repetita ex literarū monumentis ueterū ſeditionū memoria, eoq; in primis mihi proposito, quod et Christus ipſe et Legati eius de cōcordia sanctæ ciuitatis ſepius diſſoluēda ſareiēdaq; prædixiſſent: ipſe me collegi equidem: neq; rē ſecus adhuc cecidiſſe cognoui, quām par fuerat, neq; aliū atq; ciuiles superiorū tēporū motus exitū habuiſſet, partes iſtas finē habituras esse iudicauit. Etenim cū hæreſes illæ alijs atq; alijs temporibus non præfecturā

m 2 mod

modic aliquam ut hæc, aut etiam Prouinciam, sed uniuersum penè terrarum orbē summo plausu peruagatae eſſent: perfectum eſt tamen cū amplissimi collegij constantia, atq; ipsorum Pontificum uirtute, tum bonorum consensu atq; ſumma cauſæ ipſius æquitate, ut omnes tandem multitudinis quoque iudicio damnatae & ad nihil redactæ prorsus extinguerentur. Quis Nestoreo quodam tempore uulgo gratiſior? quis Arrio aliquando etiam potenter? quis Diſcoro popularior? quis Montano ſectatorū copijs munitior? quis Apollinari iuniore uel in diſerendo acutior, uel in ſacrорum librorum lectione diligētior, uel principum in repub. uirorum amicitijs illuſtrior? Quid? an ceterarum factionū ducibus autoritatem initio & multitudinis coſpirationem defuiſſe arbitramini? Floruerunt omnes opibus, floruerūt artibus, uiguerūt in genio, eloquētia, industria. Ab omnibus deniq; uel naturæ, uel fortunæ, uel ſtudiorū ornamentis instructiores illi cum fuiffent & paratiōres, quam Martinus ipſe Luterus, quātumuis ambitionis, hodie uel optare audeat, iacuerūt tamen ad extremum omnes, obſoletisq; et extinctis tandem eorum partibus recuperauit ius ſuum reſpublica: atque ita recuperauit ut ſummi Pōtificis & amplissimi collegij decreta quam minime omnīū popularia, ſed ſeuera & improbis triftia, ualeret tamen, eamq; inter mortaleis omnes, quam etiā nūc habent autoritatē affequerentur et obtinerēt. Et quia nōnulos uestrū repētina unius aut alterius municipij imperitæ multitudinis defectio, quaſi diuinitus facta religiosius comouere uidetur: tantum abeft ut id bonis diuinæ nolūtatis ſignificationē det aliquā, ut etiā maleſuadæ noxæ fraudibus factū eſſe iudicetur. An nō uidetis ita multitudinis ingenio coſparatum eſſe, ut uulguſ deterrima quæq; celeri= me am

me amplectatur: ad ea quæ sint optima, cunctantius semper
& diffidentius accedat? Ecquid prisco illo deorum cultu
turpius fuit, flagitosius, sceleratus: attamen mortales o= mnes extra Iudæos & paucos de cæteris gentibus sapien tiores quosdam, nulla neq; sanè causa adducti, neq; ui mæ iore coacti, eum statim cupidissime complexi quasi legitimum ac etiā de cœlo in terras demissum diu probauerunt.
Ecquid contrà Christi Opt. Max. uel doctrina diuinius, uel uita sanctius, uel potentia illustrius unquā extitit? Ab eo tamen ipso ex omni populo Hebræo, cui quidem ille o= mmium uatum oraculis promissus esset & expectatus, uix duodecim quos ad diuinā causam adiūgeret, repertos esse uiros nō ignoratis: atq; hos ipsos tam infirme animatos, ut unius eorum perfidia proderetur, à reliquis metu desertus & destitutus in sceleratas ac crudeles hostium manus miserabiliter deueniret. Conferte (quæso) aliquando Iouis hominis cōtaminatiissimi, conferte, si lubet, etiam Mahometis impuriissimi superstitiones cum sacro sancta & diuina Christi Opt. Max. religione atq; pietate: desinetis enim scio, istā desertorū uel transfagarū potius multitudinē tan topere admirari: quæ tamē ipsa si nobis qui non humana & externa seditionorū uocabula induimus, sed unū Christi nomen sequimur, Christiani q; & dici & esse uolumus: si nobis inquā multitudo ista cōparetur, ne exiguae quidē priuati alicuius familiæ rationem ad celeberrimæ ciuitatis frequētiā habere reperietur. Atq; ut institutæ orationis exitū aliquādo expediā: quoties uobis in mēte ueniet Lu= terū paucis annis populariū suorū multos in sententiā istā adduxisse: facite ut eodē respiciatis tēpore, primū quodnā hominū genus cū eo in rem p. cōiurarit. occurret uobis scilicet præter eos, quos hic bene paucos honestiores video,

caupoñes tantum, stabularij, muliones, lanij, farctores, cu-
 pediarij, ganeones, helluones, decoctores, fures, sicarij,
 percussores, latrones, ac reliqua istiusmodi hominū turbæ
 atq; colluicio, & quasi quoddam seditionum seminarium,
 quos quidem ille institutis suis non ad bonam frugem tra-
 duxerit (hoc enim & bonis omnibus optandum fuit, et ab
 eo certe, qui se hodie Christianæ uirtutis æmulum unum
 esse gloriaretur præstandum) sed ad omnem magis petu-
 lantiam, audaciam, immanitatem suis concionibus & scri-
 ptis inflamarit. Deinde uobis proponite quibus uolupta-
 tum illecebris, quibus licentia & impunitatis pollicitatio-
 nibus miseram ac perditam illam plebis fecē allegerit, et ho-
 die uinctam teneat homo apud sobrios quidem & intelli-
 getes rerū existimatores indocta arrogancia stultiſſimus,
 sed ad capiendos imperitæ multitudinis, concitandos que
 uulgi animos apprime eruditus, & longe post homines na-
 tos ueterator improbiſſimus atq; audaciſſimus. Tum uero
 cogitatote, turpiſſimas quassq; seditiosorum causas subitis
 incremētis quidem proiectas illas processisse, sed nullis o-
 mnino radicibus nixas, ad tristis semper exitus atq; fœdiſ-
 simos casus properasse. Rei uero publicæ & processus ini-
 tio tardos fuisse, & statum grauiſſimis ſæpe tempeſtatibus
 iactatum multa discrimina ſubijſſe: sed euentu tamē eiusce-
 modi, ut uictrix ad extremum pietas, & uictoria
 de impietate iustiſſimam ſemper retule-
 rit, & glorioſiſſimum ſuperisq; ho-
 minibusq; plaudentibus triū-
 phum egerit.

Quatuor quæ ſubſecuturæ erant orationes,
 immatura morte non absoluit,

CHRI